# MONUMENTA BAEBIANA

CUM

ANTIGRAPHO TABULAE AENEAE

ALIMENTARIAE

# MONUMENTA

## REIP. LIGURUM BÆBIANORUM

CUM DISQUISITIONIBUS

IN ANTIGRAPHUM

TABULAE AENEAE ALIMENTARIAE

REIP. EIUSDEM

CURA RAHAELIS GARRUCCI

ACAD. HERCUL.

# DISQVISITIONES

## DE

## BAEBIANI POSITV ET DE TABVLA ALIMENTARIA

## LIGVRVM BAEBIANORVM

Etsi plurima sunt, eaque utilia, quae de historia rei alimentariae copiose disputari possunt, tamen omnibus apertum esse arbitror, id nos anteferre debere, in eoque potissimum elaborare, quod suscepimus. Est vero susceptum nobis pertractandum illud nobile monumentum Ligurum Baebianorum, quam tabulam alimentariam nuncupamus. Namque cum anno superiore pauca quaedam de hac tabula essemus locuti, opusque illud inchoatum quibusdam de causis nobis e manibus paene esset ereptum, et in publicum iam prodiisset, magnae excitatae sunt contentiones, non leves etiam contumeliae iactatae, de quibus statui post datam defensionem in omne tempus mihi esse reticendum. Veram oportebat, imo opus erat, ut rem quantum in me esset absolverem. Accedebat etiam, quod mecum haberem descriptam ex aere tabulam illam, pari forma ac magnitudine, quam providebam, si ederetur in lucem, omnibus literatis viris gratissimam futuram. Ergo hanc in rem congessi quae de oppido Baebianorum alio in loco scripseram, ne qui illud opusculum, cuius exemplaria pauca publicaveram, non haberet, hic quicquid scitu utile esset, desideraret. Sed mihi de hac re mentionem iniicienti praetereundus non est Eques Ornatissimus Iosue De Agostino, cuius singulari studio atque opera haec omnia habeo, quae proferre in vulgus gestio, tabulae inquam alimentariae exquisitissimum exemplum, et quidquid reliquiarum de Liguribus his, eorumque situ hactenus est repertum. Complectar igitur hoc libro descriptionem loci, et disquisitiones de alimentis, quibus occasionem praebet tabula Baebiana, sunt vero de origine rei alimentariae eiusque Institutore, de obligationibus, an perpetuae fuerint, de duabus formulis tabularum describendarum, de ratione conficiendae obligationis, de perticis, de pagis. Brevibus etiam commentariis tabulam illustro. Haec omnia cum prosequor, ita sum animo comparatus, ut quoniam non leves quaestiones ratiocinando ingredior, in quibus tractandis aliorum opiniones referre et excutere necesse sit, omnes sciant, me *et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia*, ut Cicero praeclare aiebat, esse paratum; gratiamque apud me maximam esse inituros, quicumque ad haec veluti exordia progredienti sua studia conferent, ingenium occupabunt, quibus imperfecta et inchoata perficiant atque absolvant.

### *Describuntur reliquiae et situs veteris oppidi Ligurum Baebianorum.*

Fuit Baebianum in loco positum leniter acclivi, et qui inter colles quibus ager continetur et cingitur modice exsurgat; neque ita diiungitur ab aliis, ut ardui tumuli existant, hient valles; sed cum limbis se mollibus clivi excipiant, haereantque lateribus, fit solum potius inaequale quam asperum, magisque collium planis cristis conspicuum, quam arduis ferum, et circumcisis. Est vero tota regio fontibus abundans, secta rivulis, ipsa denique area in qua Baebianum fuit salubri loco scatebris mollissima et aquosa. Cum totum hoc territorium paene lustrassem, putavi Liguribus et Hirpinis qui prius habitaverant aptissimum semper fuisse. Namque Ligures et Hirpini vix aliquas urbes hoc nomine dignas condidere, ut historia proditum est (1): caeterum in pagis, et vicatim incoluerunt; cumque pagi in collium verticibus olim consiti fuerint (2), tota regio incredibili fuit opportunitate locorum. (3) Agrum hunc

(1) v. Liv. Iust. et al.

(2) v. Plut. in Numa, Dionys. Halic. Livium etc.

(3) Quod Livius l. 40, 38 *agros campestres* vocat ea loca, in quae *Cornelius et Baebius deducere ex montibus Ligures Apuanos statuerunt* recte id quidem facit. Namque circa Taurasiam campestres agri imo et campestris urbs ipsa Taurasia fuit. Quocirca quicquid de agris Taurasinis circa Beneventum Baebio cessit, id non ex composito sed e re nata apparet factum cum quadraginta illis capitum millibus collocandis territorium designatum consules defecisset.

Taurasinum,(4) ab urbe Taurasia dissitum quis mirabitur? Et Campani olim in Lucania, immo et in Creta suos agros tenuerunt, (5) Atellani et Arpinates in Gallia. Cic. ad Fam. (6) *Locutus sum tecum de agro vectigali municipii Atellani, qui est in Gallia.* (7) Quorum (*Arpinatium*) *omnia commoda consistunt in his vectigalibus quae habent in provincia Gallia.* Age nunc agri taurasini circa Beneventum (8) in quo Ligures Baebiani (9) a Baebio traducti habitarunt, modum, et latitiam, et situm designemus, simul et urbem, quam *Baebianum* dicere non dubito, definiamus. Solum ubi olim urbs Baebianum stetit, *Maculam* nuncuparunt accolae, quo tempore locis saltuosis id nomen Italia faciebat (10): durant indicio per illos colles sparsae fagi, unde mons *Faieta*, et quercus unde *Cercello* nomen accepit. Sic Romani colles Querquetulanum et Fagutalem appellaverunt. Via vetus ex incerto silice ab Equo Tutico per Baebianum ducebat ad Saepinum et Bovianum; tum ex Baebiano Beneventum per loca subiecta Castro Reginae ( *Reino* ). Flumen Tammarus meat occidentalem plagam Baebianorum, terminum diceres inter Pentros et Hirpinos: nam oppidum Baebianum quod non procul ab Tammaro est in Hirpinis numeratur a Plinio (11). *In Hirpinis . . . Ligures Baebiani.* Quantam partem praediorum tenuerint Ligures Baebiani coniicere possumus ex loco, quem fere medium occupant inter Saepinates, Murgantinos, Beneventanos, Volanos (12) et recessiores Aecanos, quibus suus est ager, imo et pertica attribuenda. Quamobrem nisi agri illi vere feraces olim fuerint, et ubertosi, vix credibile est tantam gentem ad viginti capitum millia hic serere suam rempublicam et amplificare potuisse: praesertim cum decimo anno post Consul Fulvius septem capitum millia quibus (13) *ager inter populares datus est*, iis adiecerit. Caeterum de situ ac multitudine pagorum, erit alius ad dicendum locus. Nunc placet omnes Baebianorum reliquias percensere eo ordine, quo se nobis et suam gentem prodiderunt.

1. Primo referenda est basis de saxo calcareo Patrono posita, cuius nomen cum statua periit: neque enim in basis integro trunco, neque in corona aut lysi uspiam fuit scriptum.

1.

PATRONO QVI . .
LAPSVM TERREMO . .
BALINEVM REFI . .
AVIT AC SVA
PECVNIA FECIT OB MV
NIFICENTIAM EIVS
ORD. ET POPVLVS...
RVM BAEBIAN...
RVM POSVERVNT

Necesse est igitur terraemotu ita concussam civitatem fuisse, ut balinei publici fornices et camerae corruerint. Haec suo sumptu Patronus refecit. Fabricae thermarum restant tria solia, quibus diu ad alia omnia villici usi sunt, donec integra fuerunt. Basis errore coloni diffracta jam diu periit.

2. Secundo inventum est insigne illud decus rei alimentariae, tabula aerea, quae Baebianum reposuit inter celebriores veteris Italiae civitates. Haec non modo Ligures Baebianos, sed pagos dedit fere vicenos, sed familias Baebianorum et fundorum nomina, quibus populi status et οἰκονομία continetur, quas utilitates in aliarum urbium historia persequenda, ex compluribus monumentis vix interdum possumus colligere.

3. Hominem qui non magni faciat lapidem L. Turselii Fulvii arbitror neminem, tot ac tanta sunt ad veterem urbis formam cognoscendam aptissima, quae lucramur ex uno hoc monumento.

3.

L. TVRSELIO L. F. VEL
FVLVIO PONT AED
QVAEST IIII VIR IVRI
DIC BIS
VOCONIAE LL PROCV
L TVRSELIVS L F VELIN
RVFINVS AVIS SVIS
BENEMERENT FECIT

(4) Insignis olim fuit de *Taurasia* et *agris Taurasinis* inter Cluverium et Cellarium dissentio. Hunc secutus Rupertus (ad Liv. loc. L. XL. 38.) reputansque iam confectum et *refutatum* Cluverium coniectat pro *Taurasinorum* legendum *Caudinorum* aut *Tauraninorum*. Nunc vero nemo dubitat in Samnio Hirpino *Taurasiam* urbem olim fuisse, ex quo sepulcrum Cn. Cornelii Scipionis Barbati repertum est (Visconti Mon. degli Scipioni tav. 5, 8) qui vir fortissimus TAURASIA *Cisauna Samnio cepit subigit omne Loucanam* ( non *Loucana* ut legimus, quos fefellit rima qua literae M pars absumpta est) *opsidesque abdoucit*. Praeterea circa Taurasiam ad ripam Caloris Cl. Guarinius demonstravit Ligures a Cornelio deductos et eorum rempublicam, indicavit et Baebianos circa *Beneventum*, ego adieci definitionem oppidi cum reliquiis. Sequitur nunc ut Frontini locus (Strateg. IV. 1) et Flori (Histor. 1. 18) corrigatur: et pro *Aranisis campis* qui uspiam sunt, *Taurasini* reponantur.

(5) v. Cic. 2. Verr. 63. Mazzocchi de Amph. Camp. Velleium 11. 81. Casaub. ad Suet. Aug. 46. Dion. 49. 14.

(6) L. 13, 7.

(7) L. 13, 11.

(8) v. Front. Strat. 4. 1. 14.

(9) Livius 40, 38. *Ager publicus P. R. erat in Samnitibus.* 40, 41. *In Samnium traducti agerque his inter populares datus est.* Frontinus de Col. *In Samnio . . . Liguris Baebianus et Cornelianus. Muro ductus III virali lege. Iter populo non debetur. Ager ejus post bellum augustianum veteranis est adsignatus.* Quod de *Ligure Baebiano et Corneliano* hic scribit Frontinus, aperte ad primam deductionem Ligurum Apuanorum est referendum, ex qua factum est, ut simul semper nominarentur. Ita et Plinius *Ligures qui cognominantur Corneliani et qui Baebiani.* Neque vero sequitur eos unam rempublicam habuisse. *Liguris* pro *Ligur* aut *Ligus* non magis repugnat quam flumen Lucaniae *Siler*, *Silarus* qui dictus et *Silaris* in lapide apud Const. Gatta, La Lucania. *In SILARIS regione* CC ( h. e. *Camnuse Campanorum* v. Cic. Verr. 2. 63.) De genitivo *Silaris* pro *Silaridis* gr. Σίλαρις, ἰδος Voss. A. G. 2. 8. Marini A. A. 587 etc. ) Accusativum *Silarim* habes in fragm. Hist. Cl. Mai t. 7, 474. *Crassus juxta SILARIM flumen XXX millia prostravit.*

(10) Murat. Ant. M. Aevi t. 2. 151. A. 1116. C. ubi *nomen hoc Apuli et Romani ad integram silvam transtulisse videntur.*

(11) Plin. 4. N. L. III, 14.

(12) De *Civibus vallis Volanae* v. Cl. Ios. Castaldum Atti dell'Acc. Ercol. t. III. p. 50, 51.

(13) Liv. 41.

Igitur Baebiani in tribu Velina fuerunt, fuit etiam inter eos Pontifex, Aedilis, Quaestor, et suprema potestas penes Quatuorviros. Sed ne familiam Turseliam praetereamus. Duxit hic Turselius Libertam Voconiam Proculam, ex qua habuit L. Turselium filium. Huic nepos fuit L. Turselius cognomento Rufinus, a quo monumentum Turselio et Proculae positum est avis suis. Forte ex eadem gente Turselius Pudens in tabula Col. III, 40. nominatus, qui habuit fundum Caerellianum in pago Meflano, et L. Turselius Priscus, qui coniugi Marciae Saturninae dedicavit cippum inventum in agro oppidi S. Georgii *ad Molinariam* (*alla Molinara*), quem exscriptum misit Rev. D. Vincentius Moffa Sac.

MARCIAE
SATVRNIN
AE L. TVRSELIVS
PRISCVS C B M F
C Q V A XXV.

Certe praenomen Lucius eiusdem gentis Turseliae non leve est argumentum.

4. Cippus alter exsistit inter rudera Baebiani

4.
D M
TIGRENI
CRISPIVS
SALVTARIS
CVM QVEM
VIXIT ANN
XVII MENS X
AMICAE

5. Iulia Hecate vix altera ab illa tabulae col II. 53. aram ab alumno Primitiano consecuta est.

5.
IULIAE HECATAE
PRIMITIANVS
ALVMNVS
B. M
FECIT

Habuit Iulia fundos duos Coronianum et Caerellianum, et Casam Crispini in pago Romano, itemque fundum Clodianum in pago Herculaneo. Praeter hos lapides alii sunt, quos exscribere temporis inopia non licuit. Commorati sumus biduo non mediocriter quaerendo occupati, si forte fortuna daretur frustulum tabulae alimentariae invenire, quod sperabamus laboris nostri fructum non exiguum fore. Atque id saltem sumus consecuti, ut viam, quae in forum procedebat, et forum ipsum et viam publicam cognosceremus, et certo iam civitatis positum atque aditus definiremus. Haec latius exposui ut pateret, quam nullus sit de Baebiano dubitandi locus. Nunc me totum convertam ad ea, quae de tabula aenea statui dicere.

Insigne monumentum ex aere quod restat habet latitiae palmos duos et bessem, longitiae fere palmos quinque. Aenea flatura vitiosa; quare propter aeruginem est ubi aerosa, ubi ferruginosa videatur. Sarta etiam est aliquibus locis. Superficies scabra, malleo aequata qua scripturam exciperet, caeterum eminula quadra finitur in coronae modum. Per ferreos uncinos sustentata et fixa parieti fuit, cuius signum in dextero latere deprehendas. Descriptis consulibus, et argumento uncialibus litteris proposito, deinceps tota secatur tabula in tres columnas, quarum prima constabat versibus uno et octoginta, secunda habet septuaginta et novem, tertia numerosior octoginta tribus.

## QUAESTIONES HISTORICAE DE ALIMENTIS.

1. Hactenus de inventi oppidi vestigiis, nunc de tabula alimentaria dicere aggredior eo consilio, ut relicta historia rei alimentariae hanc solam tabulam tractem, de ea disputem, in eo denique monumento interpretando me occupem, scilicet ut experiar, non enim mihi arrogo ut difficiles quosdam nodos plane extricem. Et primo, antequam ut res certissima a nonnullis jactaretur, quaeri solebat Nerva ne an Traianus habendus esset verus rei alimentariae, primusque institutor: ego seposita parumper auctoritate nummorum, qui inscripti sunt TVTELA ITALIAE Nerva tertium Cos. et Aurelii Victoris, cujus verba sunt de Nerva „ *Puellas puerosque natos parentibus egestosis sumptu publico per Italiae oppida ali iussit* „ tabulam Baebianam avide accipio, eam interrogo, ex illa peto cui sententiae me asseram. Etenim si duo illa aetate testimonia tam clare et plane pro *Nerva* faciunt, non intelligo, cur dubitaverint summi viri, disputaverintque tam diu inter se. Erit igitur magnum emolumentum, quod tabula Baebiana doceat decimam obligationem Romae fieri Traiano IIII et Q. Articuleio Paeto II consulibus. Quamobrem videamus, an a Nerva III consule ad Traianum IIII hoc est ab A. V. 850. inchoante, ad primos duos menses anni 804. Traiano quartum consule cum Paeto, decem obligationes fieri potuerint. Patet apertissime non posse nisi novem, idque suppositis obligationibus semestribus: Quid? si usurae annuae sint, ut mos fuit his temporibus, et Nervianae institutionis propugnatores tenent, quomodo possunt esse semestres obligationes? Duo igitur exstant argumenta, quae parum firmam faciunt Nervae institutionem. Accedunt etiam alia. Primum quis credat Nervam duas obligationes proposuisse eo ipso anno quo tantam rem ordinaverit, aut jusserit? deinde Traianum absentem et nondum Romae visum, occupatumque maximo bello, quo aerarii vires exhaustae sunt, duas alias largitiones fecisse tanto sumptu, quantum vix rebus compositis, et parta pace, Romaeque inter suos ne cogitare quidem potuit, cum ut congiarium populo daret, *par-*

*tem donativi militaris differre* coactus sit? (14) Quamobrem saltem dicendum est, seriem largitionum anno 851, et 852 fuisse interruptam. Quod si interrupta est, iterum decem obligationes non poterunt inveniri. Atqui neque anno 853 largitionem ullam fecit. Equidem ita Plinii silentio moveor, ut si alia argumenta deessent, hoc unum faceret, ut de Nervae institutione dubitarem. Plinius anno antequam Traianus consul IIII processit panegyricum in Senatu mense Septembri dixit. Nemo vero est in illo praeclaro opere ita novus, qui non videat, quae laudator ille perscrutatus sit, quantum rimatus, unde aliquid Traiano suo vel tenuissimae laudis accederet. Quid? num toto panegyrico de tam insigni munificentia per Italiam, de imperatoria illa largitione (15) de beneficentia in pueros invenimus verbum ullum ab eo dictum? Anne dubitandum est fore ut Traiani indignationem incurreret, si quatuor eius liberalitates reticuisset? an Plinium illum qui placendi causa scriberet, ignorasse qualia scribenda essent illis, qui placendi causa scribunt? Atqui non ignoravit: ejus enim illa sunt verba (16) *Omnes qui placendi causa scribunt, qualia placere viderint scribent.* Ergo assentator argutus graviter falsus esset, putidissimus aulicus, qui existimaret *tribus locupletatas leviter attingi non posse* (17) totam tamen Italiam silentio praeteriisset. Quem vero non moveat concordia monumentorum, in quibus de alimentis mentio est et Traiani quartus consulatus praefixus? Hunc annum 854. Pueri et puellae Ulpiani (18) hunc tabula alimentaria baebiana designat, huic quae (19) Dio congessit, item quadrant. Exponit enim omnia quae Traianus a fine anni 852, ad mensem Martium Anni 854 Romae gesserit: Ες δε την Ρωμην εσελθων πολλα εποιει προς τε διορθωσιν των κοινων, και προς χαριν των αγαθων εξαιρετως διαφεροντως επιμελουμενος, ως και ταις πολεσι ταις εν Ιταλια προς την των παιδων τροφην πολλα χαρισασθαι. και τουτους ευεργετων (20). Quis vero sibi persuadet Traianum novum Romae antequam publicas res ordinaret, alimentariae institutioni animum admovisse? Neque vero fuit unquam boni principis prius Italiae et oppidis, quam urbi providere, nec expeditum negotium ante rem publicam imperii totius ad puerorum alimenta per oppida Italiae mentem convertere; praesertim cum id aliqua ex parte per Nervam non ita multo ante lege illa municipali (21). quam auctoritate Victoris, et nummorum contra nonnullorum opinionem ponere necesse est (22) esset provisum: neque tandem erat

---

(14) Plin. paneg. 25.
(15) Xiphil. 68, 771.
(16) Epist. 18. L. 3.
(17) Paneg. 25.
(18) Murat. 230, 3.
(19) Xiphil. 68, 5.

(20) Pomponius Bassus praefectus fuit rei alimentariae anno 854, vel 855. quem patronum sibi Ferentinates deligunt L. Aruntio Stella L. Iulio Marino Cos. Iam enim *post amplissimis magistratibus* reliquam aetatem inter otia ruris exigebat, cum Plinius illud sibi tempus optabat dari, quo semotis curis Reip. in otio senesceret (v. L. 4. ep. 23. ad Pomponium Bassum). Atqui anno 857. Plinius in Bithyniam ad imperium profectus est (Borghesi del cons. Barbalcio) neque ante annum 855 eligi Pomponius potuit ad curam alimentariam cum anno ipso 853 esset Legatus Galatiae et Cappadociae nec post 857 iam enim se a civilibus negotiis dimoverat. Praeterea in decreto Ferentinatium Traianus Germanicus tantum appellatur, qui Dacicus anno 856 est salutatus. Hinc sequitur Pomponium hanc curam tenuisse anno 854. vel 855. Erat vero adhuc in eo officio mense octobri: namque decretum Ferentinatium quod scriptum est XIIII Kal. Nov. verba facit de cura eius alimentaria tanquam de re praesenti. Orelli 184. *Universi verba fecerunt T. Pomponium Bassum C. V. demandatam sibi curam ab indulgentissimo imp. Caes. Nerva Traiano Aug. Germ. qua aeternitati Italiae suae prospexit secundum liberalitatem eius* ita ORDINARE (hactenus editam ORDINARI, sed postulat sententia ut sit *ordinare*). Quamobrem Pomponii Bassi praefectura Traiano IIII consule cum reliquis monumentis, quae ad quartum Traiani consulatum referuntur mirifice consentit, et congruit.

(21) Neque vero haec Nervae indulgentia novum fuit inventum. Namque olim Caesar REGIONES ITALIAE *reviens, iis e plebe qui* FILIOS *sibi* FILIASVE *approbassent, singula nummorum millia* PRO SINGULIS SAEPE *diviserat* Suet. Aug. 46, 2. Iussit Nerva imperator publice pueros et puellas egenorum civium ali per municipia; quo facto vere *tutela Italiae* dici meruit. At Nerva Traianus multo generosius qui novo instituto rem alimentariam ordinavit. Imperatorum P. R. liberalitates etiam privati cives imitati sunt: ex quorum numero est *Caelia Macrina illa, quae Terracinensibus HS* [X] (h. e. decies centies millies) *reliquit, ut ex reditu ejus praeniae darentur centum pueris alimentorum nomine sing. mensibus singulis pueris colonis XV puellis colonis in mensibus singulis XIII*: et *T. Helvius Basilus qui Atinatibus HS* ((I)) ((I)) ((I)) (trecenta millia) *legavit ut liberis eorum ex reddita dum in aetatem pervenirent frumentum et postea sestertia singula millia darentur* (Orell. 4265). Et hic quidem non ante Nervam, ut putat Henzenius tab alim. p. 18. Nerva enim primus induxit civitatibus quae sub imperio Populi Romani essent posse legari (Ulpian. 24, 28) *Civitatibus omnibus quae sub Imperio P. R. sunt legari potest idque a Divo Nerva introductum*, ita M. Aurelius *permisit collegiis legare* Paul. l. 40. de reb. dub. Labus. Lett. a Cicogna p. 44. Igitur Helvius qui legat pecuniam Atinatibus non fuit ante Nervam. Quod vero dicatur *procos legatus* Caesaris Augusti, quin adderet provinciam, nulla ratio est. Neronem quidem Cl. Burghesius (Gior. arcad. t. 40 p. 283) ultimum principem statuit, sub quo mos esset *proconsulem* dici, tacito provinciae nomine. Sed quantum spatium est inter Neronem et Nervam? nec mores, nisi per legem id fiat, sic cessant continuo, ut aliquod vestigium non remaneat. Quid est igitur quod vetat Helvium Basilum proconsulem se, non addita provincia, sub Nervae principatu adhuc dicere? Demum Plinius HS XXX millia annua suis municipibus in alimenta puerorum et puellarum plebis urbanae daturus, fundum actori publico civitatis Comensium mancipavit (L. 18, ep. 7 ad Caninium) et CCC millia eidem plebi in alimenta reliquit. (Borghesi del Cons. Barbul. 49) Cl. Aldinum video (Marmi comensi p. 104) hanc testamentariam largitionem Romae a Plinio factam, esse opinatum; cuius judicii causam habet, quod Romae decesserit. Hoc equidem unde constet hactenus perspicere non potui. Eum anno 860 in villa Alsiensi fuisse testatur ejus epistola (L. 6, ep. 10. Borghesi Barbul. *L'estrema memoria che si ha della sua vita è dell'anno 860 in cui era nella villa Alsiense in Etruria*) Romae ne an Comi excesserit quis divinabitur? Porro id ratio non est, quod Romae magistratus tenuit, neque magis quia Plebem urbanam nominat, non Comensem, ut debuit; cum *plebs urbana* nomine tantum Romana nuncupata sit. Exemplis enim abundamus, quibus vulgus etiam in municipiis se plebem urbanam vocare videmus. Quare *plebs urbana* Veronae Orelli 34, 38. Atinae id. 3457, Urbiventi id. 5443 Bergomi id. 63, Mediolani id. 82. Pisauri id. 81. Histonii id. 4052. Aretii id 2182 Sassinae id 22 20. (ubi PR. MI. 5. DD. legendum Permissu Decurionum) Perusiae id. 2351. aliisque municipiis dicta est. Neque tandem nos cogit quod praetermissa sint *ordines* et *collegia*, quum non sit ex praetermisso tam probum argumentum, quod litem si aliqua esset incideret.

(22) V. praesertim Rossi Arco Trajano p. 44.

negotium paucorum dierum rem tantam tamque magnificam, quam ingenti animo Traianus complexus est, constitutionibus novis, et legibus, et magistratibus munire atque ornare. Haec omnia cum considero, profecto mihi persuadere non possum Nervam alimentorum institutorem fuisse, aut Traianum ipsum id ante consulatum suum quartum potuisse perficere. Adde Capitolinum, qui *alimentarias largitiones* Traiano attribuit, *Traiani institutum* vocat. (23) Pertinax *alimentaria etiam compendia, quae novem annorum* EX INSTITUTO TRAIANI *debebantur indurata verecundia sustulit*; hoc est, se coegit ut tolleret, (24) interim dum totam Italiam colonis frequentat, fundos desertos largitur etiam de suo cum ατελεια decem annorum. Herodian. (25) Πρωτον μεν γαρ πασαν την Ιταλιαν, και εν τοις λοιποις εθνεσιν αγεωργητον και παντάπασιν ουσαν αργην επετρεψεν οποσην τις βουλεται και δυναται, ει και βασιλεως κτημα ειη, καταλαμβανειν. επιμεληθεντι και γεωργησαντι δεσποτην ειναι. εδωκεν γεωργουσιν ατελειαν παντων ες δεκα ετη, και δια παντος δεσποτειας αμεριμνον.

2. Obligationem et largitionem decimam consulatu quarto Traianus facere non potuit, Nerva rei alimentariae institutore, ut iam satis disputatum est. Erit igitur Traianus institutor et auctor: at quid fiet decem largitionibus? aut quomodo componi cum his quartus consulatus potest? Iam obligationes Traianum ipsum praecedere nequeunt, neque Traianus ante quartum consulatum, ut probare visi sumus, rem alimentariam instituit, nec si quartus consulatus cum decem obligationibus manet, fas est ad Nervam auctorem rem alimentariam referre. Inter haec tria quorum duo certa sunt: hoc est neque Nervam posse poni auctorem cum decem obligationibus, et quarto cons. Traiani, neque obligationes praecedere posse institutionem ipsam; unum restat, quo definito tota difficultas dissolvitur, idque nec novum, nec sine ratione. Est vero - Quartum illum Traiani consulatum non largitionis annuae, sed institutionis tempus referre - Pisani suum decretum subsignarunt die XIII Octobris, qua die L. Caesar cuius causa decretum illud est factum e vita discessit. Atqui prius decuriones erant cogendi, illaque decernenda, quae in illo decreto posita sunt, Romam fuit ad Senatum mittendum ad Augustum, obsignatum denique decretum erat recipiendum. Quid est igitur quod XIII Octobris factum subscribunt? Placuit illum diem, cuius gratia decretum illud esset factum, Εποχην esse decreti. (26) Quanto rectius Baebiani suam tabulam alimentariam ipsa Εποχη instituti Traiani consignarint! quanto splendidius, quanto magnificentius! Confirmat nostram sententiam ipse titulus *Optimi, maximique Principis* quo exornatur Traianus in argumento proposito tabulae Baebianae. Docuit Eckhelius, quem summus Marinius aliique secuti sunt, Traianum, licet επωνυμως και επιδειξως in ipso aditu imperii sui *optimi maximique* nomine a Senatu sit appellatus, tamen distulisse gloriosissimam appellationem publicis monumentis permittere, antequam consul quintum processit. Praeterea inveniuntur in consulatu ipso quinto monumenta, quibus aut *optimus* tantum, aut *maximus* inscribitur. Aquileiense Candido et Quadrato cos positum *maximum* appellat. *Plenionem indulgentiam* MAXIMI *Principis* Marini Arv. 5. *Optimum* Cretense Lyttii Anno post Chr. 107, 108. Νερουᾳ Τραϊανῳ Σεβαστῳ, ΑΡΙΣΤΩΙ Γερμανικῳ Δακικῳ κ. λ. (27) et apud Amati (28) *Imp. Nerva Traian. Caes. Aug. Germ. Dacici* OPTIMI. Contra tantam doctrinam, tamque certam et firmatam scilicet unum exemplum exstat, quod opponi possit; et illud quidem ex simili tabula Veleiate, ubi obligatio per Cornelium Gallicanum fit *ex indulgentia* OPTIMI MAXIMIQUE *Principis Imp. Caes. Traiani* GERMANICI. Iam vero Traianus in consulatu V Dacicus est cognominatus; igitur alterutrum sequi necesse est, ut aut *optimus et maximus* ante quintum consulatum publicis monumentis sit appellatus Traianus, aut in Consulatu quinto non addito *Dacici* cognomento *Germanicus* nuncupetur. Ego vero non magnopere moveor tituli triumphalis praetermissione: experientia enim docemur titulos hos variare, perturbari, omitti (29). Illud profecto recte: aliud esse titulum praetermitti, aliud addi: errore titulos aliquando addi nemo dixerit, quis vero neget posse praetermitti, cum toties id factum videamus? Denique hoc uno exemplo recepto, quid fiet omnibus monumentis quae ante consulatum quintum optimum maximumque eum Principem appellant? Quamobrem recipiamus obligationem etiam Gallicani ex quinto consulatu esse factam: tandemque certum sit, nostrae tabulae Baebianae, quae Traianum *optimum maximum* appellat, consulatum quartum ad epocham demonstrandam, non ad tempus designandum, in quo obligatio decima facta sit, esse impositum.

3. Alterum emolumentum quod lucramur ex tabula Baebiana (namque ut monui de utilitatibus tabulae Baebianae statui dicere) est definire utrum obligationes fuerint annales an perpetuae. Quod cum ex re definiri non possit, (neque enim ego tam cerno acutum) videndum est, qua ratione ex tabula Baebiana oporteat colligere. In hac tabula tres fundi sunt, qui ex praeterita nona obligatione referuntur in censum; neque licet suspicari alios in prima columnae parte, quae periit potuisse notari: nam ratio supplementi non patitur, (nisi uno in loco, nec sine dubio): praeter quam quod in reliquis duabus cum tres modo sint, in sola primae columnae parte amissa multos fuisse, credibile non est. Quamobrem facta summa pecuniae acceptae pro his tribus fundis ex nona obligatione, exstant HS VIII D, ex quibus fiunt usurae annuae HSCCXIIS. Haec summa

(23) Capitol. in Pertin.

(24) Xiphil. in Pertin. τοσαυτα αρα τοτε τα βασιλεια αχρηματια, ωστε πεντε και εικοσι μυριαδες δραχμων μοναι ευρεθησαν. Nam Commodus dum viribus imperii helluatur, exhaustum aerarium reliquerat. (Lampr. in Comm. 3.)

(25) Herodian. II, 4. 4.

(26) v. Cl. Cardinali. Mem. Rom. di Archeol. t. 3. p. 190.

(27) Grut. 1084, 9. Franz Elem. Epigr. p. 278.

(28) Amati Gior. Arcad. t. 56. Iscr. ant. 342.

(29) Marin. Arv. tab. LVIII. n. X. p. 782.

quid sit ad miserae plebis prolem alendam quisque consideret: neminem puto ita levem existere, qui defendat aut Imperatorem Traianum talis liberalitatis auctorem, aut tantam locupletum Baebianorum contumaciam. Neque vero possumus praesumere aliam tabulam fuisse, in qua reliquae nonae obligationes describerentur. Nam fundi isti tres non *pro parte dimidia* aut *tertia*, ut saepe fundi in veleiate, obligantur, sed in integrum. *obligatione VIIII* FUNDI etc: Quare qui reliqui sunt fundi ex obligatione nona hic referuntur. Quod si ita est, nec nona obligatio stare potest cum tribus his fundis, hoc est cum annuis usuris HSCCXIIS, sequitur, si quid video, obligationem praeteritam perpetuam non fuisse, sed vel annuam, aut saltem temporariam, cuius reperiantur fundi tres, quorum domini veteri obligatione fundi continuata, et nova aliorum fundorum facta, simul in tabulam referantur.

4. Hactenus de *Institutore alimentorum*, et de *renovandis obligationibus* ex tabula egimus, nunc de methodo. Methodum intelligo totam rationem obligationis peragendae. Est vero res nova et obscura, sed spero me aliquid (possum falli ut humanus) ex ipsa tabula allaturum, quo meae coniecturae fiant credibiles. Nemo eorum, qui tabulam Veleiatem nobis explicaverunt, dixit quicquam de formula *Accipere debet et obligare*, qua omnis περιοχη illius descriptionis continetur. Hoc vero est totum, quod observari volebam. Quaero enim an aliquid intersit, utrum in actis publicis referatur, *acceperitne* quid aliquis vestrum, an *debeat accipere*? nemo est, profecto qui non videat quanti sit ista formula. Ecquis enim magistratuum tradita pecunia scripserit v. c. Valeria Procula *accipere debet*? immo *accepit pretium* et obligavit fundos suos. Quod ni fit, qui quaeso caveri calumnia potest? qui distingui eos qui debeant *accipere*, ab iis quibus iam sit credita pecunia? Ego vero ita sentio, ita sum persuasus. Cum iis temporibus praesertim tam periculosa fuerint iudicia, tam morosae formulae legis peritorum, et leguleiorum, inter Veleiatem tabulam et Baebianam, in qua nusquam est illa formula *accipere debet*, nec recte suppleri potest, ingentem esse differentiam. Quae cum tantum ad *pecuniam acceptam* et *non acceptam* ut patet referri debeat, sequitur ut cogitemus duas tabulas olim fuisse confectas. Et recte ad mores illorum temporum, tam ad rei institutum. Quid enim magis gloriosum privatis, quam ut municipes scirent, concives obligare fundos suos ad futuram munificentiam in plebem et liberalitatem et largitionem? quid Imperatori honorificum magis, quam ut promissam pecuniam anno ante plebs municipalis oculis et aure biberet, et paene iam teneret manibus, in hanc spem liberos educeret, praesentes angustias aequiori animo sustineret? Neque enim singulis annis singulae civitates hac munificentia refectae sunt, sed principis arbitrio, qui iuberet urbium, quas esset recreaturus notari possessores, qui essent pecuniam accepturi, et suos fundos obligaturi, ut summa data esset in tuto. Quamobrem ita ego existimo, ni fallor, hoc totum negotium fuisse confectum. Indicta largitione futuri anni ex indulgentia principis, et modo usurarum in quamque civitatem, cui Imperator munificentiam concederet, Quaestores municipiorum tabulas conficiebant eorum, qui suum nomen darent, additis singulorum fundis, et casis, quas profitebantur, tum aestimium bonorum ex tabulis censualibus accipiebatur. Quocirca tota περιοχη tabulae quaestoriae municipalis fuit v. c. *Valerius Proculus professus est fundum Mamilianum aestimatum HSL.* Hunc indicem nominum Quaestores municipiorum (30) tradebant Procuratoribus ad alimenta, qui Praefecti alimentorum imperio suberant; (31) erat vero iudicii praefecti determinare summam sestertiorum, quam profitentes accipere deberent; nec tantum est habita ra-

(30) Quaestoribus alimentorum qui Henzenio *in lapidibus innotuerunt* Tab. Alim. p. 35 addo *L. Caesarium Speculatorem Q. aer. publ. et pec. alimentar.* Grutero 386, 4. *L. Comisium Firmum pr. Q. aer. et alim.* id. 394, 8. *Gal.. Q. at, Aliment..* Cardin, Dipl. p. 28. *Q. Latin. Lucanum Q. alim.* Murat. 141, 2. (D'Orville *Sicula* p. 607, 57. altim aed.) *L. Marcelum. Saturninum Quaest. reip. caut. pec. reip. aliment.* Grut. 455, 8. *M. Mucerium Quintum Severum Q. alimentor.* id. 440. 6. *L. Pompeium Erenianum Q. aer. p. et alim.* Gori t. I. 148. *L. Sucenium, pol. Priscum IIII V. I. D. Q. A.* Orelli 2643. *P. Ennium P. F. Bassum aed. bis II. vir. I. D. bis II vir. Quinq. Pont. QIV Cur. Pec. Pub. Iudic. ex Dec. quinq.* Orelli 3156. Hic post duumviratum Iuridicundo et duumvir. quinq. non potest nisi quaestor alim. esse. Itaque pro Q. IV. Q. AL. scribendum erit. Sic. Oppium Pallantem debemus Reinesio qui Cl. VI 75. primus recte *Quaest. Alimen* renormavit in *Quaest. aliment.* v. Donati 249, 4. At omnino erratum ap. Zaccariam Annal. Litter. t. II. p. 299. Donati corp. Inser. p. 246, 6. *Ex Auctoritate Imp. Ti. Caes. Divi. f. Aug. Cos. V. M. Aquilius Iulianus . . . ALIM. et aquar. purt. procos. Campaniae col. omnesque qui Capuam . . . insidunt aut in . . .* ubi forte reponendum est *Cur. viae AEMIL. et. aquar.*

(31) Praefecti alimentorum viri praetorii aut consulares ut Pomponius Bassus et Cornelius Gallicanus fuerunt (Borghesi Bull. Istit. 1844. p. 125 etc.); his universa cura rei alimentariae demandata est: deinde inductis in re alimentaria multis novis a M. Aurelio, cum *procuratoribus* cura data est, nihilominus et hic saepe praefecti aliment. appellantur. Sed nemo errabit qui attendet ad ordinem gesti magistratus. Primi enim fuerunt consulares et praetorii, secundi non aeque. Propterea subit mirari, quid Henzenius vocet Balbinum Maximum virum *summis honoribus functum* (Tab. Alim. p. 41.) cum in eo magistratu fuerit ante Legationem, Quaesturam, Praeturam et Consulatum. Etenim honores eo est ordine consecutus, ut esset 1°. *Sevir Equitum Rom.* 2°. *III vir. Ka.* 3°. *XV Vir sacr. fac.* 4. *PRAEF. ALIM VIAE FLAMINIAE.* 5°. *Curat. aquar. et Minicia.* 6°. *Cogn. ad sacr. App.* 7°. *Cur. R. P. Laur. Lavin.* 8°. *Leg. Prov. Asiae.* 9°. *Q. K.* 10°. *Pr. K. Tut.* 11°. *Cos. Ordinarius.* Et Maximus quidem Balbinus sub Gordiano floruit, hoc est post inductam mutationem a M. Aurelio in re alimentaria. Quamobrem cum videamus P. Mummium Sisennam Rutilianum (consul is anno 925 fuit) post Legationem et praeturam ornari *Praefectura aliment. per Aemiliam* (Henz. 46) et Q. Pompeium Sosium Priscum virum consularem qui (anno 922 eo magistratu functus est) praefecturam alimentorum gessisse, opinemur necesse est anno 923 primum a M. Aurelio *Iuvenium praedonter* (v. Capitol. in Aurel.), ut viri praetorii qualis Sisenna, hanc curam susciperent *praefectique* dicerentur alimentorum per eas vias, quarum curatores essent creati; praeterea tam bonum institutionem tempore Gordiani iam labefactari coepisse: cum Maximum Balbinum, virum senatorium nondum assecutum summos honores, cum *Mucium Probum V. C. praef. alim* (Orelli 1267.) universae rei alimentariae praefectos videamus. Praefectis universae rei alimentariae accedit L. Minicius, cujus cippus nuper est Tiburi effosus: hic post Praeturam et Legationem fuit *Praef. alimentor* et *Curator viae Flaminiae.*

tio aestimii censualis, verum etiam praesentis reditus agrorum, unde aequalibus aestimiis tantam acceptae summae differentiam invenire est. A Praefecto igitur additum est formulae questoriae quantum quisque accipere deberet v. c. *accipere debet HS III et fundum ss. obligare.* Tabulae confectae ἀντίγραφον annulo Praefecti, et fortasse etiam Principis, cujus ex indulgentia pecuniae singulis urbibus attribuebantur, obsignatae reddebantur quaestoribus, relicto ἀντίγραφον in tabulario Principis. Quaestores, in aes referre curabant, ut toto anno, fixae in foro conspiceretur; sub cujus finem, distributâ per quaestorem pecuniâ singulis profitentibus, (32) secundum aes incidebatur in quo descriptum erat quantum quisque accepisset, quidque deberet, et fundorum aestimium. v. c. *Valerio Proculo profitente obligationem fundi Mamiliani aestimati HS L in HS III. summa usurarum HS XXV.* (33) Quae est formula ipsissima tabulae Baebianae (34).

*Quaestiones de pertica colonica, et de fundis praecipue Baebianorum et Beneventanorum.*

1. Quaestio est de situ et amplitudine perticae Beneventanae et Baebianae: ubi necessario incidit mentio de situ pagorum, qui in his perticis, aut territorio ex tabula demonstrantur. Pono ante omnia quaedam principia, et veluti cardines totius disquisitionis, qui nisi recte constituantur, nihil me confecturum puto. Certum est Beneventum, et Volanum ad meridianam plagam Baebiani, Saepinum ad occidentalem, Murgantiam inter septentrionem et ortum hibernum sitas fuisse. Ab ortu terrae sunt spatiosiores, donec Aecam aut Trivicum, aut Equum Tuticum invenias. Omnes hae coloniae seu municipia suis instructae perticis et territoriis fuerint etiam necesse est. Quamobrem quod territorium Baebianum *continuum* habuerit, vix possumus intelligere. Sed de pertica Baebiana disseram postea, de Beneventana nunc dicam.

2. Beneventum ut magna colonia suam perticam amplissimam habuit, et ut caeterae civitates etiam unam. Si quaerendus est locus, in quo a conditoribus agri-dati assignati et divisi sunt, nemo puto erit tam absurdus, qui sibi persuadeat uberrimam vallem caudinam cum campestribus agris, eos ita contempsisse, ut Baebianorum inaequales colles ubi angusta pertica, et intercisi agri futuri essent, sibi deligerent; praesertim si nobis repraesentemus fuisse constitutum, ut si fie-

---

(32) Cum usurae a sestertiis 25. quae minima summa est in tabula baebiana, ad sest: 1061. aeque in partes quatuor, ut in ἐλέγχῳ subscripto dividantur, consentaneum est credere terno quoque mense magistros pagorum, et quaestores alimentorum plebi usuras divisisse; et fortasse caeptum est a Kalendis Maii primis, unde in Kal. Aug. Nov. Febr. et Maias divisio fieret opportune. In hanc opinionem adducit Veleiatis tabulae fragmentum a Cl. de Lama (Tav. Alim Veleiate Parma 1819, p. 74.) editum, quo exhibetur, ut opinor, catalogus usurarum, quae ex singulis professionibus essent colligendae post obligationem peractam

..II IN K MAIA..
..EX PROFESSIO M..
..III CRASSI EX PROF.
..IN K M...

Neque vero si recte retulimus rei alimentariae institutionem ad Consulat. Traiani quartum fieri potuit, quin aliquot menses primam obligationem antecederent, itaque hac incipiente ipsis Kal. Maiis primam solutionem usurarum in kal. Aug. probabili coniectura reiiciemus.

| Usurae annuae sestertiae. | Quarta pars usurarum. | | Usurae ann. sest. | Quarta pars usur. | |
|---|---|---|---|---|---|
| HS. 25 | HS. 6 | 1 | 140 | 39 | |
| 42 | 10 | 2 | 141½ | 39 | 1½ |
| 50 | 12 | 2 | 150 | 37 | 2 |
| 62½ | 15 | 2½ | 158 | 39 | 2 |
| 65 | 16 | 1 | 175 | 44 | |
| 75 | 18 | 3 | 200 | 50 | |
| 83½ | 20 | 3½ | 225 | 56 | 1 |
| 87½ | 21 | 3½ | 250 | 62 | 2 |
| 88 | 22 | | 266½ | 66 | 2½ |
| 89 | 22 | 1 | 293 | 73 | 2 |
| 100 | 25 | | 300 | 75 | |
| 110 | 27 | 2 | 325 | 81 | 1 |
| 125 | 31 | 1 | 350 | 87 | 2 |
| 133½ | 33 | 2½ | 357 | 93 | 3 |
| 136½ | 33 | 1½ | 400 | 100 | |
| 137½ | 34 | 3½ | 1061 | 265 | |

(33) Cl. Antonius Zaccharia (Ann. Letter. t. 4. p. 203, 5.) putavit usuram sestertiam (p. 205. *la nota della quincunce*) in inscriptione 5. quam descriptam prave, et ad se missam publicavit, denotari lineolis ≡ extimi versiculi. At si quincunx auctoritate tabulae Velleiatis quinque lineolis ≡–≡ describitur, tres lineolae ≡ dabunt usuras quadrantarias, non quincunces. Nota semunciae, ut Volusius Maecianus (Lib. de ponder.) docet, fuit L (v. Gaet. Marini A. A. t. 1. et Alois. Marini ad Vitruvii L. X.) quamobrem usura sestertia sic designabitur. — L. Caeterum inscriptio quae est in Mus. Borbon. sic habet.

D. M.
CYRILLAE VALERI
IVLIANI LIB QVA XXVII
RELIQ. FILIA ANN VII.
FEC. SEMPRONIVS
LVSPVS MARITAP VL OP

h. e. *D. M. Cyrillae Valerii Iuliani Libertae quae vixit annis XXVII. Reliquit filiam annorum VII. Fecit Sempronius Luspus maritus Apparitor* (de appar. milit. v. Cod. Iust. L. 12. tit. 53. Hirtium B. Afric. 37.) *Honoris Ope*. Restat igitur, ut in sola tabula Baebiana sint usurae sestertiae. In Iure (Frag. 7. ff. 10. De admin. et peric. 26) *citantur usurae trientariis etiam leviores. Secundum morem provinciae QUINCUNCES aut TRIENTES, aut SI QUAE ALIAE LEVIORES.*

(34) Haec si cuncta credibilia sunt, et illius aetatis usum optime referunt, quid prohibet supplere lacunam tituli *obligarunt* PR. ACCEPTO PRETIO? Id enim huic secundae scripturae, quae in foro proponebatur mirifice quadrat, quaeque propter hanc causam ab alia differebat, quod prima erat exemplum ejus indicis, in quo describebantur ii profitentes, qui probante praefecto accepturi erant summam certam pecuniae ad usuram praestandam; secunda erat exemplum eius indicis in quo referebatur quid quisque penderet eo anno *accepto iam pretio*; id vero est ni fallor substantia et natura, et indoles harum tabularum. Quapropter satis probabili coniectura his vocibus lacunam paene desperabilem implebimus. Quod si quis velit potius *obligarunt sestertio*, nempe ob usuras duorum assium et semissis, quae fit ex dimidio usurae quincuncis (de qua ratione latine loquendi disputavimus in op. Risposta alle osservazioni etc. p. 7-12) habet is gravissimos viros, inter quos et Iosephum Furlanettum honoris causa nomino, qui hanc opinionem ceteris, hactenus praescriptis et propositis anteponunt.

ri posset *militi veterano cultura assignaretur* (35) et legem colonicam Augustianam *qua falx et arater ievit* ita ab Hygino intelligi ut *agri culti unicuique aliquid daretur, addito ni satis esset silvae parte etiam in montibus remotae* (36). Quod si hae rationes imbecilles viderentur, habemus testimonium firmissimum inscriptionem ad furcas caudinas Iuliae Augustae positam a Beneventanis IN TERRITORIO SUO QUOD CINGIT ETIAM CAUDINORUM CIVITATEM MURO TENUS. (37) Et apud Frontinum (38) *Caudium.. a Caesare* COLONIAE BENEVENTANAE CUM TERRITORIO SUO *est adiudicatum*. Quamobrem pertica Beneventana removenda est ab agris Baebianorum. Veruntamen videndum est, ne quis putet nullam possessionem Beneventanorum civium inter Baebianos esse, quia pertica Beneventana illic loci non est. *Nec enim*, ut scribit Siculus Flaccus (39) et historiae testificantur inde a capite Romulo, *omnibus personis victis ablati sunt agri*; quare inter agros *datos assignatos*, *redditos*, et *relictos* magna differentia semper constituta est in re agraria. De re tam certa dicere non persequar, viderint illi, qui IN BENEVENTANO semper idem esse volunt, ac si diceretur PERTICA BENEVENTANA. Sed quia pagi in perticis, et in agris fuerunt, necesse est ut quid isti pagi fuerint tandem definiamus. Ego cum pagos dico, divisionem quandam imaginor sectionemque agrorum: ponoque ante oculos Numam qui totam regionem veteris Latii divisit in eos, qui *pagi* dicerentur, et unicuique *portioni* seu *sectioni* agrorum praesidem attribuit. (40) ΔΙΕΙΛΕ Νουμας ΤΗΝ ΧΩΡΑΝ ΑΠΑΣΑΝ ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΥΣ ΠΑΓΟΥΣ *και κατεστησ' εφ' εκαστου των παγων αρχοντα επισκοπον τι και περιπολον* ΤΗΣ ΙΔΙΑΣ ΜΟΙΡΑΣ. Sunt igitur hae sectiones, divionesque terrarum PAGI tunc a Latinis appellati. *Pagus* etiam dicta est illa multitudo sive aedium, sive casarum, propter subitas hostium incursiones in locum arduum, et munitum condita: quapropter *παγος* ab Hesychio explicatur *βουνος, οχθος*, et a Tzetze (41) *οχυρωματα*. Perticam Ligures ita habuerunt assignatam, ut ne Murgantinis colonis, nec Saepinatibus, nec iis qui habitarent Aecam aut Equum Tuticum nocerent: quamobrem credibile est territorium Baebianum paene in centro agri ligustici et perticae fuisse.

3. His igitur positis veluti fundamentis, hoc est designato situ perticae Baebianae et Beneventanae, et definita significatione PAGI, restat ut dicamus de situ pagorum; et de limitibus agri et perticae Beneventanae ac Baebianae: quo facto determinetur sensus, quem habent tot varietates in articulis tabulae Baebianae in definiendo fundorum loco. Exemplo sint. Col. II. v. 5, 6 *fundus Pomponianus pertica Beneventana pago Aequano in Ligustino* - v. 9. *fundus Rubrianus in Beneventano pago Ligustino* - v. 34 35 *fundus Velleianus in Beneventano pago Romano in Ligustino* - v. 43, 44. *fundus Sestianus finibus Beneventanorum pago Romano* - Col. III. v. 6. *fundus Camurianus pago Romano in Ligustino adfinibus rep. Ligustinor et populo* - v. 82, 83. *fundus in Beneventano pago Catillino finibus*.

4. Principio opinor nihil hoc agro, qui inter Baebianum et Beneventum est, implicatius, nihil magis limitibus continuis fuisse destitutum. Omnes enim fere agri, praedia omnia Ligurum, quae obligantur, appellantur nomine a possessore diverso: quare dominium necesse est a priori possessore fuisse translatum. Hoc vero dominium potuit transferri pluribus de causis, *emptione*, *haereditate*, *nova assignatione coloniae*, *commutatione*, *occupatione*, *traditione*, *attributione subsecivorum*. Colonis Beneventum et Baebianum bis aut ter deductis, ut proximos Saepinates, Murgantinos, Volanos omittam, novae perticarum assignationes, divisionesque agrorum, et silvarum factae sunt. Quid vero in his colonicis assignationibus fieri consuerit, quamque perturbate, loca quaedam ex auctoribus de re agraria declarant. *Aliquando* enim (42) *in limitationibus ager etiam ex vicinis territoriis sumptus non sufficiebat, sed debuit auctor divisionis, assignationisque quosdam cives colonis adimere, vel ita agros eis assignare .. extra limitationem monte illo, pago illo, illi iugera tot, aut illi agrum illum, qui fuit illius: quod genus fuit assignationis sine divisione*. Ergo coloni coloniae extra divisionem colonicam agri habuerunt aliquando *assignata* praedia in aliquo pago alterius dominio erepta, eaque assignatio profecto perticae applicita dicenda est, nec aliud fuisse videtur quam pertica, ut in formis perticarum, in aere descriptis, seu divisionis, assignationisque praediorum, omnia DATA ASSIGNATA DIVISA *perticae coloniae* nomine venerunt, (43) Itaque cum perticam Beneventanam aut Ligurum in tabula legimus, non est cur cogitemus de *continui agri divisione*, cum omnia quae *data assignata divisa* sunt, aeque *perticam* dici compertum sit; quamvis *assignata* aliquando sine *divisione* fuisse sciamus. Item (44) *Beneficio Principis solent et privilegia quaedam habere* (coloniae) *ut longe, et remotis locis saltus quosdam reditus causa acceperint, quorum proprietas indubitate ad eas pertinet, quibus est assignatum*. Praeterea (45) *quidam sunt agri vel pascua*, vel silvae *in regione a territorio coloniae divisa* REIPUBLICAE TERRITORIO ASSIGNATI, *qui illius reipublicae dicentur et erunt*. Quare Respublica Baebianorum potuit habere portio-

(35) Sic. Flac. p. 17.
(36) Hyg. De lim. const. 191, 192.
(37) De Vita Ant. Bener. Inscr. p. 53.
(38) Front. de Col. p. 104.
(39) Sic. Flac. p. 16.
(40) Dionys. Alic. Ant. Rom. L. 2.
(41) Tzetz. ad Lycoph. v. *παγος*
(42) Sic. Flac. p. 21.

(43) Hyg. 193. *Omnes significationes et formas aeris tabulis inscribimus* DATA ASSIGNATA CONCESSA EXCEPTA COMMUTATA PRO SUO REDDITA VETERI POSSESSORI, *et quaecumque alia inscriptio singularum literarum in usu fuerit et in aere permaneat. Libros aeris et typum* TOTIUS PERTICAE *lineis descriptum secundum suas terminationes adscriptis adfinibus tabulario Caesaris inferemus etc.*
(44) Agen. Urbic. p. 67.
(45) Hygin. De Lim. const. p. 185.

nem agri, vel silvae, vel pascuorum *in regione a territorio coloniae divisa*, quae reipublicae Baebianorum, seu Ligustinorum *essent*, et *dicerentur*. An vero id est *pertica benev. pago Aequano in Ligustino?* Possum falli ut humanus, sed nihil aeque apertum his observationibus video, aut definitum magis ad recte tam perturbatas et involutas locorum formas terminandas in tabula nostra dici posse confido. *Sunt* tandem (46) et *ordini coloniae* sive decurionibus *quidam* agri *assignati*. Quapropter nemo erit ita levis, qui in tot agris et perticis, *exceptis*, et *relictis*, *assignatis*, et *divisis*, *occupatis*, et *redditis*, post plures etiam coloniarum deductiones, post divitum emptiones, tum veteranis deficientibus, privatorum occupationibus (idque Traiani aetate *variis locis deprehendi* (47) et praecipue *in Samnio* (48) *aliter fundos possideri, quam D. Vespasianus Veteranis assignaverat, compertum est*) se speret definire, qui fines agrorum, qui perticae cujusque coloniae fuerint. His positis mirum non est pagum Aequanum suos fundos habuisse partim pertica Beneventana, partim in Ligustino, aut Crispiam Restitutam possedisse fundum pomponianum, qui simul esset in pertica Beneventana, in pago Aequano et in Ligustino. Namque in pago Aequano fuere forte praedia applicita colonis coloniae Beneventanae, et dominis Ligustinis; hinc Crispia possidebat agrum, qui in territorio esset pagi Aequani, sed in iis territorii Aequani partibus, ubi simul coloni Beneventani et Ligustini suos fundos habuerunt.

Addam hic aliquid etiam de nominibus, et pluralitate fundorum. Fundi a suis possessoribus fere nomen acceperunt, ita *fundus pescennianus in agro campano silarano* fuit Pescenii illius, qui *agrum campanum sine reip. impensa Campanis reciperavit* (49). Qui in colonias deducti sunt in ipsa assignatione prima, nomen suum agris communicabant; *dividebantur enim* ut ait Sic. Flac. *agri et assignabantur viritim nominibus*; h. est, ut scriptores rei agrariae loquuntur, *illi, in centuria illa, iugera tot*. Quidam etiam trinomines inveniuntur, ut Iuliani tres maior minor et medianus, profecto a situ, et eorum magnitudine, veluti *Iulianus minor*, et *Vettianus minor* in col. 3. 57. Ita Romae *vicus Loreti minor et maior*, in reg. 13, et 14. *Racilianus minor et maior* Orel. 5, et *Sabura maior* Orell. 8. *Ianus medius* Orell. 27. et *Ianus primus* 40. Quidam aliunde dicti sunt, ut *Antiquus*, *Paternus*, *Tebanus*, *Calanus*, veluti *fundus quadriganus campi macri* Or. 3115. quorum causam saepe vanum est investigare. Quod de pluralitate nominis alibi dixi, et nunc teneo loco diversos nominari particula ET interposita, eosque qui continui sunt illa carere, et unum latifundium constituere. Itaque fere semper ubi ET interiicitur, invenire est pluralem numerum *fundor*, *fundis*, *fundos*, vel *fundi* Q. S. Orelli 4364. *Hoc sepulcrum pertinet ad possessionem* FUNDORUM *Naeviani et Calpurniani* (50) *Fundum Iunianum*, *et Lollianum*, *et Pescennianum et Statullianum* SUOS (51) *Hic ex S. C.* FUNDOS *Ceponian et Roianum et Mamian. et pratum ex osco ab R. P. redem. HSLXX m. n. et in avit. R. P. reddidit*. Quod si coniunctio omittitur aliquando, ut Latini solent, praesertim in monumentis (52), suppletur non raro alio modo. Veluti in tabula Veleiate (53) FUNDUS *Aurelianus Caelianus* QUIS (h. e. qui sunt) *in Veleiate pago Ambitrebio*. Exemplum optimum unius latifundii nominum pluralitate locupletis in tab. Veleiat. est (54) FUNDUS *Cepanianus*, *Novianus*, *Rutilianus*, *Plautianus*, *Antonianus*, *Cocceianus*, QUEM professus etc. Plura nomina etiam retinuerunt aliquando ex pluribus possessoribus, qui sibi succederent. Huius doctrinae praeter Marinium (55), auctorem habeo lucuIentissimum Siculum Flaccum (56) *In locum*, inquit, *defunctorum alii agros acceperunt. Ex quo fit, ut his centuriis inveniantur et* EORUM NOMINA, *qui deducti erant*, et EORUM, *qui postea in locum* SUCCESSERUNT. Fundus *Iulianus medianus a Labeonica turricula* dignoscebatur, quam cum philograecis Varronianis (57) dixi περιστεροτροφεῖον. *Genus* enim *columbarum agreste, ut alii dicunt, saxatile habetur in turribus*, inquit Varro (58), *ac columinibus villae*, hoc est *in turribus ac summa villa* ut idem (59).

Dixi quae opportuniora putabam ad definiendum locum, in quo Baebianum olim consitum est; quem laborem credo fore Geographis et historicis utilem. Addidi etiam quasdam meas opiniones, quae respicerent alimenta Ulpiana, tam praeclari instituti Auctorem, et ad rem alimentariam spectantia ex tabula Baebiana deduxi; tandem volui disserere de formula articulorum et de modo designandi locum fundorum, quem tenet tabula. Nunc tempus est ut ad breves notas in ipsum monumentum progrediar.

---

(46) Hyg. 186, 187.
(47) Agen. Urb. p. 57.
(48) Frontin. 130.
(49) V. Mazz. Anf. Camp.
(50) Avell. opusc. et Kellerm Bull. 1835, 135.
(51) Ferent. inscr. 7.
(52) V. Marin. Iscr. Alb. Cl. 3. insc. 54, pag. 40.
(53) De Lama p. 598.
(54) De Lama p. 598.
(55) I. A. p. 418.
(56) Goës Auct. R. Agr. p. 25.
(57) R. R. III, 10, 1.
(58) R. R. III, 7, 1.
(59) L. III, 3, 6.

# NOTAE IN SVPPLEMENTA TITVLI ET COL. I.

.. NERVA TRAIANO AVG . . . ) IIII

· ARTICVLEIO PAETO .

.. IMAXIMIQ PRINCIPIS OBLIGARVNT PRA . . ıOLIGVRES. BAEBIA' ..

Γ EX INDVLGENTIA EIVS PVERI PVAELLAEQA . . . ..IPIANT

( Imp. Caes ) *Nerva. Traiano. Aug.* G(ermanic)o IIII
(Q.) *Articuleio Paeto* ( 11. Cos )

( Munificentia optim)*i maximique principis obligarunt pr* a(ccepto pre)*tio Ligures Baebia-*
(ni u )*t ex indulgentia ejus pueri puellaeq.* a(limenta a)*ccipiant.*

*Munificentia.* Cum sumptus in alimenta *Liberalitas, Munificentia, Indulgentia* sit appellatus; inducor tamen Plinii exemplo, qui rei alimentariae consiliator et testis fuit, et in facultate latinae linguae vix habuit parem temporibus his, ut *Munificentiam* deligam. Et ille quidem una epistola ad Pompeium Saturninum, (1) in qua de oratione ad Comenses ad rem alimentariam multa dixit, annuos illos sumptus, *munificentia* et *munus* fere semper nuncupavit. v. c. *Cogimur de* MUNIFICENTIA *nostra disputare*, - *Quid utilius fuit*, *quam* MUNIFICENTIAE *rationem etiam stylo prosequi* - *Tanto laudabilior* MUNIFICENTIA *nostra fore videbantur* - *Decuit utilissimum* MUNUS *comitate orationis inducere* - *Intentionem, affectumque* MUNERIS *nostri vellemus intelligi* - *Ad quos ex* MUNERE *nostro nihil pertinet.* Et (2) ad Caninium. *Oportet multo diligentius* MUNERI *suo consulere, quam facultatibus.* Haec eadem vox in monumentis est frequens. Orelli (3) *Gn. Copellio Q. alimentorum Plebs Nepesina* . . *ob* MUNIFICENTIAM *eius.* Murat (4) *Traiano.. ob* MUNIFICENTIAM *suam in cives subolemque Italiae* Grut. (5) *P. Otacilio Q. Pec. Alim.* *ob eximiam* MUNIFICENTIAM *eius* (6) *P. Vegellio Primo Q. Alim.. exemplis* MUNIFICENTIAE *suae optime merenti.*

*Obligarunt* PRA ıO. Difficillimus est ad recte supplendum locus. Tamen si consideremus duplex fuisse genus tabularum, alterum a Praefecto alimentorum confectum et obsignatum, in quo perscriberetur quantum quisque ACCIPERE DEBERET pro fundis, quos professus *erat se obligare* : alterum ACCEPTO iam PRETIO propositum, ut referret quid usurarum quisque eo anno esset soluturus; eorumque unum exemplum tabulam Veleiatem, alterum Baebianum esse, sponte sua venit in mentem reponere *obligarunt* PR.ACCEPTO PRETIO (7) Item forte tertia haec fuit obligatio Baebianorum si *obligationem regionis* memoratam in Col. 1, et obligationem illam columnae II, et III, quam propter romanas Baebiani *nonam* appellant, et hanc, de qua tabula facta est simul colligas, tres obligationes habebis : quamobrem vero simile erit supplere *obligarunt* PRAEDIA TERTIO. Sed, ut *dixi*, in re tam incerta nihil est quod tuto profiteri quisquam possit.

(1) Plin. L. 1. ep. 8.
(2) Plin. ep. 18. L. 7.
(3) Or. 395, 1.
(4) Mur. 230, 3.
(5) Grut. 446, 7.
(6) Id. 652. 2.
(7) V. pag. 7. nota n. 31.

| | | |
|---|---|---|
| ICANO HS CCCLXXV | . . . . . fund . . . . . pert)*ica no* | *HS CCCLXXV* |
| THS $\overline{\text{CLXXII}}$ | lana . . . . . . aes)t *HS*$\overline{\text{CLXXII}}$ | |
| RET PRO | in $\overline{\text{HSXV.N}}$ . . Victo?)*r et Pro* | |
| | culus ? | |
| *OLLIANI HS CL | . . . . . . . . . fund . . . l)*olliani* | *HS CL* |
| ADFCAESIO | . . . . . finibus Beneventanor ? ) *adf Caesio* | |
| HS $\overline{\text{VI}}$ | . . . aest HS . . in) *HS* $\overline{\text{VI}}$ | |
| PERTICA HS CCLXVIS | . . . . . . . . . fund . . . )*pertica* | *HS CCLXVIS* |
| LIA AEST | . . . adf . . . . . . ) *lia aest* | |
| | HS . . in HS$\overline{\text{X}}$DCLX. | |
| CAAETRV HS CCXCIII | . . . . . . . . . . fund. . . . )*caetro* | *HS CCXCIII* |
| CANOLANA | niani . . . . . . . perti)*ca nolana* | |
| DENTE | . . . . adf Statoria Pu)*dente* | |
| ANLIA | aest HS . in HS . Item fund. m)*anlia* | |
| | ni aest HS . in HS . F HS . in HS$\overline{\text{XI}}$DCCXX | |
| ONIANI HS CXXXVIS | . . . . . . . . . fund . . pomp)*oniani* | *HS CXXXVIS* |
| HS $\overline{\text{L}}$ IN | . . . . . . . . . aest)*HS*$\overline{\text{L}}$ *in* | |
| | HS VCCCCLX | |
| OQE.IN HS CLVIII | . . . . . . . . . fund . . . )*o. q.e.in* | *HS CLVIII* |
| ATEET | . . . . . adf Valerio Piet)*ate et* | |
| ONEREG | . aest HS . in HS . Item obligati)*one reg* | |
| STINOAEST | fundi . . pago . in ligu)*stino aest* | |
| ORIANVM | HS . in HS . Item per . F)*lorianum* | |

*Notae in Columnam primam.*

v. 1. ICANO Primo cogitabam *pago Libi*CANO cuius mentio est in v. 49. col. III. Versus sequens inanis monuit, ut praeferrem *per*TICA NO*lana*. Ita fiet, ut versu toto suppleri possit aliquis pagus, et iure. Integrum spatium occupari uno nomine possessoris, credibile non est.

v. 11. CAETRU Hae literae dividi non possunt ita, ut suspiceris perticam aliquam; cum sit absurdum perticam poni sine perticae nomine, et abnorme, si dixeris nomen perticae hic fuisse praepositum. Scalptor pluribus locis nec satis peritum se, nec valde diligentem probavit. Initio statim incidit PUAELLAE. et col. II. v. 34 VELAEANI. Forte hic pro *Caetruniani* seu Caetroniani scripsit CAAETRU*niani*. Gens *Caetronia* nota est, V pro O saepe positum testantur *Nunnius Susius Pupilius* etc. pro *Nonnius*, *Sosius*, *Popilius* etc. imo fuit *mos rusticorum* saepe V pro O ponere, ideoque a *iunioribus repudiatum in plerisque vocabulis* v. Priscian. 553. Putsch. Sic *Copiennii*, *Cupiennii* dicti (8).

v. 19-23. VEDIANO . . ONE REG . . LORIANVM. Erratum deprehendo in primo versu, posito O pro I; neque enim unus versus potest capere nomen possessoris, nomen fundi, et pagum, qui solus casu ablativo effertur. Sic oberrat v. 79. Col. III. dum scribit VEDIANO pro *Vediani*: contra duobus locis posuit I pro O v. 63, col. II. PAG MEFANI et v. 34. col. III. PAG. HERCULANI pro *Mefano* et *Herculaneo*. Ad supplementum, sic restituto totum articulum.

v. 19. *Illo domino*, *fundi illius*, Q. E. IN
v. 20. *Pago illo. adfine Valerio Pie*TATE, ET
v. 21. *Illo. aest HS tot, in HS tot. Item obligati*ONE REG.
v. 22. *VIII. fundi illius, pago illo. in ligu*STINO. AEST.
v. 23. *HS tot, in HS tot. Item per* FLORIANUM
v. 24. *Servum suum fundi illius, pago* . . ANO ADFNA
v. 25. *sellio Vitale. aest HS tot, in HS tot.*
v. 26. *Item fund.* etc :

Cujus rationem peto comparatione omnium articulorum unde constat post numeratos sestertios v. 21. iam novum caput incipere, idque fieri necesse sit voce ITEM. Deinde nihil aliud est quod scimus, supplementum sit certius illa voce OBLIGATIONE; restat igitur ut videamus quid sit REG. REG. aliarum inscriptionum exemplo est, REGIO, REGIONIS (9). Quare posui ITEM OBLIGATIONE REGIONIS. Nunc quid sit *obligatio regionis* ostenditur ex antiquis auctoribus, qui regionem saepe idem esse dicunt, *ac territorium intra cuius fines jus dicendi, coercendique est libera potestas* (10). Igitur *obligatio regionis* idem erit, ac *obligatio territo-*

* Exemplum tabulae quod in extrema operis parte datur, supplebit minutos quosdam literarum apices. Ceterum ex maioribus reliquiis integras edidi literas.

(8) Borghesi Oss. Num. dec. 7.
(9) Orelli 5, 4560 etc.
(10) V. Goës ad auct. de Re Agr. v. *regio*.

| | | | |
|---|---|---|---|
| ANOADF. NA | | servum suum fundi . pag . )*ano adf Na* | |
| | | sellio Vitale ? aest HS . in HS. | |
| NIA. AEST | | Item fund . . adf . . )*nia aest* | |
| HS $\overline{LXVIIII}$ | | HS . in HS . Item fund . aest) *HS* $\overline{LXVIII}$ | |
| TRONIANVS | | in HS . F.HS . in HS $\overline{VICCCXXN}$. Pe)*tronianus* | |
| NVMET | HS CXL | . . . . . . fund . . . . . . per . . )*numet* | *HS CXL* |
| ICAERELLIA | | . . aest HS . . in HS . item fund)*caerellia* | |
| BENEVENT | | ni . . . . . . . . . in) *benevent* | |
| ADFINE | | pag Romano ? in ligustino? )*adfine* | |
| | | . . . aest. HS . in HS . Item | |
| HS $\overline{LXXXVI}$ | | fund . . . . . aest ) *HS* $\overline{LXXXVI}$ | |
| | | in HS . . . F.HS . . in HS $\overline{V}$DC | |
| I.Q.E. IN | HS CX | . . . . . . . . . fund . . . . ) *i. q. e. in* | *HS CX* |
| GROET | | . . . . . pag . . . . . adf . . ) *gro et* | |
| HS $\overline{XXXVI}$ | | . . . . . . . . . . . aest *HS* $\overline{XXXVI}$ | |
| OLLIANI | | in HS . . item fund . . l ) *olliani* | |
| HS $\overline{LXVI}$ | | . . . . . . . . . . . aest) *HS* $\overline{LXVI}$ | |
| IVSMAXIMVS | | in HS .. F.HS $\overline{CII}$ in HS $\overline{IIII}$ CCCC $\overline{N}$. Cae)*lius Maximus* | |
| ANIINBE | HS L | . . . . . . . . fund . . . . )*ani in be* | *HS L* |
| ETAEQVANO | | neventano . pago Romano ? ) *et Aequano* | |
| CALIGVRVM | | in Ligustino ? adf republi) *ca Ligurum* | |
| $\overline{XLIIII}$CC | | Baebianorum? aest HS)$\overline{XLIIII}$*CC* | |
| HS $\overline{II}$ | | . . . . . . . . in) *HS* $\overline{II}$ | |
| INBENE | HS LXV | . . . . . . . fund . . . . . )*in bene* | *HS LXV.* |
| ENIOETPOP | | vent. pag. . . . . adf Cos)*enio et Pop* | |
| | | aest. HS . . . in HS $\overline{II}$ DC | |

*rii*; sunt vero Baebiani quorum territorium obligatur. Quota haec obligatio fuerit, non est cur laboremus. Literis LORIANUM indicari *Florianum* aliquem servum, per quem illa professio facta sit, est tutum in omnes partes. Itaque omnia recte ut opinor legentur v. 21. *Item obligatione regionis, fundi illius, pago Illo, in Ligustino, aest HS tot, in HS tot. Item per Florianum servum suum, fundi illius, pago Veiano? adfine Nasellio Vitale etc:*

v. 25. NA. An *Nasellius Vitalis* homo beneventanus? infra v. 71. ELLIO VITALE.

v. 29. NUMET. Intelligo NUM ET, comparoque cum supra scripto *Florianum*. Erit forte professio duorum pro suis dominis.

v. 41. LIUS MAXIMUS In v. 54, Col. III. habes *adf Caelio Maximo*.

v. 44. CA LIGURUM. Ut versu 58. RUM. Ligures Baebiani suam rempublicam modo REMP. BAEBIANORUM ut Col. III. v. 21. modo REMP. LIGURUM nominant, ut in cippo baebiano, quem nuper misit ad me accurate descriptum laudatus toties Eq. De Agostino

. . . . . .
. . IO SABINI
d. ANVS ET IVCVNDA
*RP LIGVRVM (sic) FI M
LIO INFELICISSI
MO FECERVNT

* h. e. publici Reip. Ligurum. Servi et liberti appellatio, ut filii et uxoris, aut mariti saepe relicta est. Aeclani similis (ex Guarinio Cl. Cardinali Dipl. Mil. p. 266. n. 555.) *Thesaurus* COL. AECLANI.

v. 54. $\overline{N}$. ss Domini Nomine. Huius literae exempla sunt, quae habeant additum vel *meo*, vel *ejus*, vel *ipsius*, vel *omnium* sic: N. M. N. E. N. I. N. O. Quaeres igitur an ἔλλειψις tanta possit tolerari. Ego vero an alibi possit non curo, hic posse sentio. Est enim maius quiddam si desit nominativus, si verbum, in tota περιοχῇ, quam si ponatur *N.* pro S. S. N. quod tanti non est (11). Imo audeo dicere hunc defectum ita consonare ceteris, ut mirum videri possit si de tota formula haec tantum pars integra esset. Quid? si *Numerat*, quod quidam volunt, latine significat *calculum seu summam facere*? Num non erit elliptice positum pro *Numerat summam*, seu *sestertios supra scriptos* (modo latione loqui velis)? Sic in iscr. pompeiana (11*) *Amianthus, Epaphra, Tertius ludant cum Hedisio, Iocundus nolanus petat,* NUMERET *Citus, et Stacus Amianthus*.

(11) Conf. Aldini Mar. Ticin. p. 52. *Syriegis Lib. Nomine Etruscus.*

(11*) Guarin. in cip. Avellan. 1830.

| | | |
|---|---|---|
| ASPIDIANI HS CCCLXXV . | . . . . . . . . . . . fund . . )*aspidiani* | *HS CCCLXXV* |
| GOMARTIA | . . . . . . . . . pa )*go Martia* | |
| HS $\overline{LXX}$ ∞∞ | le adf . . . aest HS . . in) *HS* $\overline{LVXX}$ ∞∞ | |
| INIBVS | Item fund . . . . . . . adf ) *inibus* | |
| X$\overline{VN}$. FILI | s. s. . aest HS . in HS . F.HS. in HS)$\overline{XV}$ $\overline{N}$.*filius* | |
| IANI HS L | . . . . . . . . . fund . . . ma)*nliani* | *HS L* |
| CINO | . . . . inbenevent. pag. Mar)*cino* | |
| TEMFVND | aest . in HS . . . . . I )*tem fund* | |
| RUM | . . . . adf . . rep Ligu)*rum* | |
| V IN | Baebianorum? aest HS )$\overline{V}$ *in* | |
| | HS . . F.HS . in HS $\overline{II}$ | |
| BRISO HS CCCXXV . | . . . . . . . fund . . . )*briso* | *HS CCCXXV* |
| ARTINO | niani in benevent ? pag. M)*artino* | |
| EMFUND | aest HS in HS . . It)*em fund* | |
| OAEST HS | . . . . . . . pag . . . )*o aest HS* | |
| IRUFI | . in HS . F. HS . in HS $\overline{XIII}$ $\overline{N}$. . Marc)*i Rufi* | |
| Q. E. IN HS CXXXVIIS . | . . . . . . . . fund . . . . )*q. e. in* | *HS CXXXVIIS* |
| ELO. ET. POP | benevent. pag. . . adf. . . )*elo et pop* | |
| EST HS $\overline{LX}$ | aest. HS . in HS . Item fund . )*aest HS* $\overline{LX}$ | |
| VS FIL | in HS . F. HS . in HS $\overline{VD}$ $\overline{N}$ . . )*us fil* | |
| NEVENTANA HS C | . . . . . . . . . fund. . pertica be)*neventana* | *HS C* |
| ELLIOVITALE | pag. . . . adf . Nas)*ellio Vitale* | |
| ADF. S.S. AEST | aest. HS . in HS . Item fund. . )*adf. s. s. aest* | |
| | HS . . in HS . F. HS . in HS. $\overline{IIII}$ | |
| I. QE. IN HS LXXXIIIS . | . . . . . fund . . . . . . . )*i. q. e. in* | *HS LXXXIIIS* |
| GUSTINO | beneventano pago Romano? in Li)*gustino* | |

v. 56. CINO. Est in Beneventano pagus notus nomine *Petrae Helcinae*. Literae pars quae praecedit C potest suppleri per L, vel per R, unde potuit esse pagus Marcinus, aut aliquid simile.

v. 61. BRISO, ut nominativus, collocari hoc loco non potest. Ex *Brisone* quod nomen est in iscriptione edita a March. Ios Melchiorri C. V. (12) *T. Crustidius T. f. Fal.* BRISO, proclive fuit deducere *Brisonianus*, ut a *Nero*, *Neronianus*, a *Cato*, *Catonianus*, a *Milo*, *Milonianus*, et rel.

v. 65. Forte MARCI RUFI cui simile est in Col. 2. *Callistus Rutili Lupi*.

v. 67. ELO. An METELO? veluti in veteri lapide Argivo (13) *L. Caecilio L. f.* METELO. Quippe nomen gentis *Meteliae* hinc ortum est. Sic invenio *Turselium*, *Turpilium*, et *Tursellium*, *Turpillium*, et alia nomina complura.

v. 69... US FILI. Sic v. 54. N. FILI*us*. Quo loco si punctum adpositum est, sigla demonstrabit.

v. 71. Suppleo ut dixi *Nas*ELLIO VITALE. Inter monumenta Beneventana exstat lapis non semel editus, quem ex mea lectione restituo. *M. Nasellius M. f. pal Sabinus | praef coh 1 dalmatar et Nasellius Vitalis | pater aug. II quinq paganis communib* (14) *pagi Lucul | porticum cum apparatorio et compitum a solo pecun | sua fecerunt et in perpetuum VI id iun die natale Sabini | epulantib hic paganis annuos X CXXV dari | jusserunt ea condicione ut non. cum pagum lustrent | et sequentibus diebus ex consuetudine sua cenent | item VI id. iun. die natale Sabini epulentur quod si | factum non erit tum hic locus ut supra scriptum | est cum annuis X CXXV in perpetuum ad collegium | medicor et ad libertos n pertineant ut | VI id. iun. die natale | Sabini hic epulentur.*

(12) Mem. Rom. di Arch. t. III., p. 114.

(13) Le Bas Fasc. 1. 59.

(14) De his *Paganis communibus pagi Lucul* nemo quaesivit. Cl. B. Borghesius (ap. Cl. I. Furlanettum. Le antiche lapidi del Museo di Este. Padova 1837. p. 31 - 47) suspicatus est (p. 46) *pagi consiliarios*, dici *Magistros paganos*, aut *paganos*, quorum caput appellaretur *Magister pagi*. Haec optime a tanto Magistro proposita, confirmantur marmore Nasellii, et pellunt procul dubitationem. Namque *pagani communes pagi* ii sunt, qui *pagum lustrant*, quod incolis pagi nemo sanus attribuet. Itemque *ex consuetudine sua cenent*, quod sane epuli soli Ordini et Magistratibus convenit. Deinde summa CXXV denariorum, quae decem aut duodecim magistros decet, toti pago, cui sive epulum, sive pecuniae summa epuli nomine saepe dabatur, non sufficeret. Quocirca ad collegium medicorum et ad libertos suos Nasellius vult pertinere annuos denarios CXXV, nempe a magistrorum paganorum collegio, ad aliud collegium transfert largitionem. Sed a populo pagi ad collegium transferri summam pecuniae distribuendae, non est probabile.

FUNDCAE
HS ∞∞∞
L
ANICUM HS CC
80 LNIOSECUN

aest. HS . . . in HS . . Item fund cae
relliani ? adf . . . aest HS . in HS ∞∞∞
FHS . . in HS $\overline{III}$ CCC X)L
. . . . . . . fund . . . . . )ani cum HS CC
casis et parietinis? adf. . . . . . . . )nioSecun-
do . . . . . . aest. HS. . $\overline{LXV}$ in HS $\overline{IIII}$

v. 80. LNIO. Cogor, ut cogitem aliquem Cilnium, Vilnium, Magulnium, Ogulnium, Calnium; namque in tabula est LNIO luculenter. Dabitur Plinio locus in *fundo Pliniano* Col. II, v. 48. *Annii Rufi*.

## COLUMNA II.

1 IDEM FVND PASTORIANI PERTICA BENEVENTANA
PAGO AEQVANO ADF PRISCIA RESTITVTA, ET POP
AEST HS $\overline{LX}$ FHS $\overline{CXXV}$ IN HS $\overline{VIII}$ $\overline{N}$ CALLISTVS
RVTILI LVPI

### *COLUMNAE II INTERPRETATIO.*

1 *Item fundi pastoriani pertica beneventana*
*pago Aequano adfine Priscia Restituta et populo*
*aestimati HS $\overline{LX}$ Fiunt HS $\overline{CXXV}$ in HS $\overline{VIII}$ $\overline{N}$ Callistus*
*Rutilii Lupi*

### *Notae in Columnam II.*

v. 1. ITEM. Quoties ITEM scribitur, toties accessio fundi ad praecedentes obligationes fiat oportet. Semel est v. 26. Col. III. ET pro ITEM. FUN. v. 73. cl. III pro FUND, semel etiam FUNDI v. 24 col II. integre scriptum.

v. 2. ADF. *Adfinium* in censu paragendo notata sunt nomina. Ulpianus (15) *Quos duos vicinos fundos proximos habeat, in censum referuntur*. In assignatione perticae plerumque unum affinem descriptum videmus tota tabula Baebiana. Locus Hygini rem non definit; nam de typo totius perticae loquitur, non de agro aliquo. (16) *Libros aeris, et typum totius perticae linteis descriptum secundum suas terminationes* ADSCRIPTIS ADFINIBUS *tabularia Caesaris inferemus*.

v. eod. POP. Ab auctoribus de re agraria discimus, *viam publicam* appellari hoc POPULI nomine; utilius etiam ex monumentis. Est lapis nolanus. (17) *Pollio Iulio Clementiano* positus, *redonatori* VIAE POPULI. Item romanus (18) *Salvia c. f. Marcellina* . . *donum dedit collegio Aesculapi et Hygiae locum aediculae cum pergula, et signum marmoreum Aesculapi, et solarium tectum iunctum, in quo populus collegi s. s. epuletur, quod est via appia ad Martis intra milliarium I et II ab urbe euntibus parte laeva, inter* ADFINES *Vibium Calocaerum*, et POPULUM.

v. 4. RUTILI. Duobus Rutiliis, quos in inscr. Benev. descriptos habemus, addo Rutilium Vitalem; ( exscripsi Beneventi in agro suburbano )

D . M
C. POMPULI
RVTILI VITA
LIS. Q. VI. ANN.
XL. DIEB. VIIII.
FLAMINANA (19)
EPICHARIS
CON. CVMQ
VIX. ANN. XX.
B. M. P

P. Rutilium Crescentianum dedi in *Antichità* etc. *Ceiae*

(15) Dig. L. 15. 4.
(16) Hyg. de lim. const.
(17) Grut. 1093, 7.
(18) Orelli 1417.
(19) Flaminana ut *Narniana*, *Adiana*, eiusdem formae, ac *Narciane*, *Adiane*, *Kaiane*, *Marciane*, nempe ex *Flamina*, *Narnia*, *Adia*, *Kaia*, *Marcia*, etc. orta sunt; sic ex *Nana* voce adblandiente *Manana* in lap. Mus. Puteol. *D. M. | Sittiae Euthy | ciae libertae | et MAMANI | Sitti Iuvenci patro | ni B. M. F.*

| | |
|---|---|
| CRISPIA RESTITVTA FVND POMPONIANI PERTICA BENEVENT PAGO AEQVANO IN LIGVSTINO ADF NASIDIO VITALE AEST HS $\overline{L}$ IN HS $\overline{III}$ D XX | HS LXXXIIX |
| L NERATIO DIADVMENO FVND RVBRIANI IN BENEVENTANO PAGO LIGVSTINO AEST HS XXXIIII IN HS ∞ | HS XXV |
| T AMVNIO SILVANO FVND TREBELLIANI ET AP PIANI CVM CIRCEIS PAGO ROMANO AEST HS $\overline{XXXXVI}$ IN HS $\overline{IIII}$ | HS C |
| NERATIO CORELLIO FVND PACCIANI ET CASAE AVRELIANI ADF IVLIO SATVRTINO AEST HS XXII IN HS $\overline{II}$ $\overline{N}$ NERATIVS MARCELLVS | HS L |

| | |
|---|---|
| *Crispia*) *Restituta fundi pomponiani pertica Beneventana pago Aequano in ligustino adfine Nasidio Vitale aestimati HS $\overline{L}$ in HS$\overline{III}$DXX* | *HS LXXXIIX* |
| *L. Neratio Diadumeno fundi Rubriani in Beneventano pago Ligustino aestimati HS $\overline{XXXIIII}$ in HS ∞* | *HS XXV* |
| *T. Amunio Silvano fundi trebelliani et ap piani cum circeis pago Romano aestimat. HS $\overline{XXXXVI}$ in HS $\overline{IIII}$* | *HS C* |
| *Neratio Corellio fundi pacciani et casae Aureliani adfine Iulio Saturtino aestimatorum HS $\overline{XXII}$ in HS $\overline{II}$ $\overline{N}$. Neratius Marcellus* | *HS L* |

*Pelagiae. q. vix ann. XVIII m* | *VIII. d. XXIII* | *P. Rutilius* | *Crescentianus* | *c. b. m. f.* Quae sint CC. VV. Labus, Aldini, et Burghesii sententiae de libertis et servis citantibus nomen aut cognomen dominorum, loco praenominis, lege apud Cl. Furlanettum (20). Exemplis addatur necesse est *Pampilus. Turpili T. S.* (21) In cujus explicatione hallucinatur Cl. Phil. Le Bas, homo doctus (22), enodans, *Pamphilus Turpili libertus testamento suo*. Reddes *Pampilus. Turpilii. Titi Servus*, et omnia erunt recte.

v. 5. CRISPIA RESTITUTA. Praeter *Crispium Salutarem*, cuius monumentum edidi in Disquis:, C. Crispium Aprum mihi descripsit Eq. De Agostino ex territorio *Pagi* ( *Pago* )

D M<br>
C CRISPIO<br>
APRO VIXIT<br>
BIENIO MESEV<br>
CRISPIA SILENE<br>
MATER BEN

Inter Beneventanas inscriptiones a De Vita collectas Crispium nullum habemus, Restitutos multos. Cuius Restituti fuerit marita Burreia Iunilla invidit aetas. Lapis est Beneventi in aedibus Marchionum Carifi, ex quo descripsi.

. . . . . .<br>
RESTITVTI<br>
BVRREIA IV<br>
NILLA COIV<br>
G. Q. V. ANN XXI

v. 12. CIRCEA quae sint, nondum est compertum. Putares loca septa, loca cincta, ubi teneras plantas defendere a bestiis solemus, dum adolescant, et plantaria dicimus. Ita σηκοί atticis et γῦροι, γυρώματα, γυρώσεις geoponicis ea septa dicuntur, quibus tenerae olivae cingi solent; sic et *parietinas* CC. VV. Borghesius et Furlanettus esse putarunt *vivaria*, et *seminaria*. Cui opinioni libenter accessi; praesertim cum hic non agatur de re alienanda, propter quam causam fundi cum *parietibus*, *muris*, et *maceriis*, cumque *omni jure et termino suo* (23). In tabulas essent referendi. Neque *parietinae* hic emantur veluti *aedificia deserta et ruentia*, quaeque *longa aetate dilaberentur* (24). Tantum velim, ut ne *circea* et *parietinae* referantur tan-

(20) Lap. Ant. Este p. 21 - 23.
(21) Marini Atti Arv. p. 416. Orelli n. 4001
(22) Monum. d'Antiquité figuré recueil. par la com. de Morée 2. cahier p. 101. Ibi: *Elle ne parait pas avoir été bien comprise jusq'a ce jour.*
(23) v. Marin. Diplomi 149. etc.
(24) v. Orelli notam ad inscr. 5115.

CN MARCIO RVFINO FVND MARCIANI ET SATRI HS ∞ LXI
ANI AEST HS $\overline{CXXX}$ ITEM FVND IVLIANI AEST
HS $\overline{XIIII}$ ITEM FVND AVILLIANI AEST HS
$\overline{XXXXII}$ ITEM FVND VITELLIANI ET NASEN
NIANI ET MARCELLANI ADF SVELLIO FLACCO
AEST HS$\overline{CXX}$ IN HS $\overline{X}$ ITEM FVND CVRIANI ET
SATRIANI PAGO HERCVLANEO ADF TETTIO ETRVSCO
AEST HS $\overline{XXXV}$ IN HS $\overline{III}$ ITEM FVNDI ALBIANI
CVM CASIS PAGO MEFLANO ADF NONIO RESTI
TVTO AEST HS $\overline{CX}$ IN HS $\overline{X}$ ITEM OBLIG. VIIII

*Cn. Marcio Rufino fundi marciani et satri HS ∞ LXI*
*ani aestimatorum HS $\overline{CXXX}$ Item fundi iuliani aestimati*
*HS $\overline{XIIII}$ Item fundi avilliani aestimati HS*
*$\overline{XXXXII}$ Item fundi vitelliani et nasen*
*niani et marcelliani adfine Suellio Flacco*
*aestimatorum HS $\overline{CXX}$ in HS $\overline{X}$ Item fundi curiani et*
*Satriani pago Herculaneo adfine Tettio Etrusco*
*aestimatorum HS $\overline{XXXV}$ in HS $\overline{III}$ Item fundi albiani*
*cum casis pago Meflano adfine Nonio Resti*
*tuto aestimati HS $\overline{CX}$ in HS$\overline{X}$ Item obligatione VIIII*

quam partes fundi, qui obligatur. Neque enim est consentaneum, cum nihil uspiam de cultura agrorum memoretur, sola vivaria, et olivarum plantationes nomine appellari. Sunt igitur censa ni fallor, loca illa seorsim, et ideo separatim obligata.

v. 17. CN MARCIO RUFINO. Marcii Rufi et Rufini, hic et Beneventi. Cippus a Dom. Vincentio Moffa sacerd. in territorio S. Georgii *ad Molinariam* exscriptus, (de quo in disser; p. 3.) addit *Marciam* quamdam *Saturninam* coniugem *L. Turselii Primi*.

v. 21. SUELLIO FLACCO. In territorio S. Georgii ad *Molinariam* locus est septentrioni oppositus pagi illius, nomine *Calise* ( v. tab. topogr. ), in quo singularis lapis inscriptus

CN. SVELLIVS
EVTYCHES
L. D. D. D
CVM SEDIBVS

Vulgata inscriptio primum a Guarinio, deinde ab Hensenio, in quorum apographis *Eutiches*: at rectius Rev. Dom. Moffa, meus olim discipulus, *Eutyches*. Nunc de inscriptione aliquid disseram necesse est. Cum enim nullum municipium, aut colonia eo loco unquam fuerit, et monumentum publice positum sit, sequitur, ut aliquis pagus ibi olim extiterit, quem ego pagum Mefanum dixerim, pagis Veiano, et Meflano adfinem; quam opinionem confirmant alia monimenta et inscriptiones, quibus totum territorium ornatur. Suellii inscriptio, ut dixi, cogit nos, ut de pago aliquo cogitemus. Tota enim eius formula, et verba ipsa declarant basim eam olim statuae Cn. Suellii fuisse. Decuriones dant publice locum basi, adiecta area, qua *sedes* aedificarentur. *Sedes* puto sessoria lapidea ad statuae ornamentum, alibi *scamna* appellata. (25) *Huic ordo decrevit statuam, et* SCAMNA *marmorea et aream marmoream*: comparoque illis hemicyclis, quorum exempla Pompeiis habemus extra portam, qua itur Herculanum. Hae sedes vero seu scamna, quorum mentio in lapidibus rarissima est, decernebantur, ad augendum civium, profecto, honorem, et statuae decus: frequens enim ille locus erat futurus, in quo sessio civibus parabatur, adeoque in municipii parte ornatiore, et augustiore sic memoria gratiosi municipis celebrabatur. Totus titulus auream illam aetatem sapit, quam Augusteam dicimus: et consentit etiam stylus simplex, et forma ipsa dicendi, in qua nomen civis in recto ponitur. Licet enim etiam factum sit, ut genitivo et dativo veteres uterentur, imo et accusativo aliquando graecum in morem, tamen ita communius, ut antiquius in recto nomen subscriptum est, quod iam a doctissimis viris observatum invenies (26). Sic in stelis Tibure effossis, quorum exempla revocat ipse summus Viscontius, et numerum auget recens inventa hermula Platonis cum in-

(25) Sc. Maffei Mus. Veron. p. 455, 5.
(26) E. Q. Visconti M. P. C. t. VI. p. 132. Milano. Franz E. R. G. p. 331, 4. Vermiglioli I. L. Per. p. 364, Le Bas I. Gr. et Lat. 5. cah. p. 498.

FVND CAESIANI IN BENEVENT PAGO TVCIANO
ADF MESSIO APRO AEST HS $\overline{\text{L}}$ IN HS ∞∞∞
F HS CCCCLXVI IN HS $\overline{\text{XXXXII}}$ CCCCXXXX
L. TETTIO ETRVSCIANO FVND ALBIANI ET AMA HS CCC
RANTIANI SVRIANI MINIANI IN BENEVEN
TANO PAGO SAECVLANO ADF MARIO RESTI
TVTO AEST HS $\overline{\text{CL}}$ IN HS $\overline{\text{XII}}$
P. TITIO AIACE FVND VELAEANI IN BENEVENT HS XXV
PAGO ROMANO IN LIGVSTINO ADF CAES. $\overline{\text{N}}$

*fundi caesiani in beneventano pago Tuciano*
*adfine Messio Apro aestimati HS $\overline{L}$ in HS ∞∞∞*
*fiunt HS $\overline{CCCCLXVI}$ in HS $\overline{XXXXII}$ CCCC XXXX*
*L. Tettio Etrusciano fundi albiani et ama*
*rantiani curiani miniani in beneven*
*tano pago Saeculano adf Mario Resti*
*tuto aestimatorum HS $\overline{CL}$ in HS $\overline{XII}$*
*P. Titio Aiace fundi velaeani in Beneventano* ***HS XXV***
*pago Romano in Ligustino adfine Caesare nostro*

scriptione ΠΛΑΤΩΝ ΑΡΙΣΤΩΝΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ (27). Non potest vero demonstrari, utrum pagus hic applicatus Baebianae perticae fuerit; unde constet, sint ne hi decuriones Baebiani, an pagi ejusdem, in quo Cn. Suellii statua posita est. Quod si in hunc pagum nulla fuit *iuridictio*, *coercitio que* (28) coloniae Baebianae, erit hoc secundum exemplum, quo *magistri pagani*, *decuriones* ambitioso vocabulo nuncupentur (29).

v. 3. Q MARIO RESTITVTO. Transcripsi Beneventi Lapidem *Mariae L.* positum.

MARIAE Ͻ L A ..
L PESCENNIVS FELI ..
PESCENNIAE LL FELIC ..
ET SIBI FEC ..

v. 35. ADF CAESARE NOSTRO. De Caeseris praediis, et silvis ara nuper inventa testificatur. Rem narrabo iisdem verbis, quibus a iucundissimo amico et C. V. Fr. Xav. Sorda notitiam accepi. *L' originale sta in S. Maria a Toro, e vi fu portato da un paesano, che lo trovò in una contrada all' Est del nostro S. Angelo a Cupolo, detta S. Maria a Voto, dove dicono che sono altri avvanzi di Antichità. Questo confine è all' Est - Sud di Benevento, buone sei? miglia distante da Campolattaro. Ecco l' iscrizione.*

SILVANO
CAESERIANENSI (30)
TROPHIMUS
ACT
EX VOTO

---

(27) Faciunt lapidis pretium duae sententiae nomini subscriptae, quae farnesiani Socratis ibidem forte reperti revocant in mentem (Visconti M. P. C. t. 4. p. 449). *Εγω ου νυν πρωτον, αλλα και αει τοιουτος, των εμων μηδενι αλλω πειθεσθαι, η τῷ λογῳ, ος αν μοι εξεταζομενῳ, βελτιστος φαινηται.* Praeclare ad Socratis dogma. (v. Sex. Empir. adv. Math. L. 10. Diog. Laert. 2, 54. Bruckerum, Stanlleium, et al.) At Platonicum

ΑΙΤΙΑ ΕΛΟΜΕ
ΝΩ ΘΕΟΣ ΑΝΑΙΤΙΟΣ
ΨΥΧΗ ΔΕ ΠΑΣΑ
ΑΘΑΝΑΤΟΣ

*Causa et culpa in eligente est, Deus est extra omnem culpam et causam. Praeterea omnis anima est immortalis.* Difficile dictu est in prima sententia explicanda, quot eruditorum fuerint opiniones, quamque discordes inter se, et adversae. Ceterum, ut interpretationem meam tuerer, curavi quamprimum cum Platonis doctrinis conferre. Ecce scrutanti mihi accidit, ut occurreret primo Procli fragmentum, quod edidit Em. et Cl. Ang. Mai (t. 8. Spic. Rom.), deinde ipse Plato (10. de Rep.), cuius verba sunt. *Αναγκης θυγατρος κορης Λαχεσεως λογος... Ουχ υμας δαιμων ληξεται, αλλ' υμεις δαιμονα* ΑΙΡΗΣΕΣΘΕ. *Πρωτος δ'ο λαχων, πρωτος* ΑΙΡΕΙΣΘΩ *βιον, ῳ συνεσται εξ αναγκης . .* ΑΙΤΙΑ ΕΛΟΜΕΝΟΥ ΘΕΟΣ ΑΝΑΙΤΙΟΣ. Proclus ad haec (Procl. in Platon. de Rep. ed. Mai t. 8. spic. Rom. p. 740.) *Τα αμαρτηματα απο των* ΑΙΡΕΣΕΩΝ *εινai των κρειττονων, και εν τοις τηνδε του μυθου ρημασιν επισημαινεται σαφως.* ΑΙΤΙΑ ΕΛΟΜΕΝΟΥ ΘΕΟΣ ΑΝΑΙΤΙΟΣ. *Των γαρ κακων δηπου Θεος αναιτιος, ουχι των αγαθων· και γαρ ταυτα* ΑΙΡΟΥΜΕΘΑ, *και* ΕΛΟΜΕΝΟΙ *πραττομεν, αλλα δι' αγνοιαν.* Altera sententia excepta est ex Platonis *Timaeo*, altera ex eius *Republica*, qui duo sunt celebratissimi Platonis libri. Cum Ω et ΟΥ commutentur invicem, *Ελομενω* pro *Ελομενου* in lapide nihil nocet. *ΟΥ*, quidem poni pro Ω demonstrat doctissimus Zannonius pluribus exemplis (Gall. di Fir. Statue t. 2. tav. 78, p. 401. ad Gr. Epigr. *Διονυσιου Σκυθη· κ. λ.*), et Ω pro ΟΥ docent grammatici (v. Greg. Corinth de Dialectis p. 82. Koen, et notam 38. eiusd. 1766. Lugd. Bat.)

(28) Hyg. de L. hac; et disquis. nostram tertiam *De fatis Picentiae.* Antt. Salern. Neap. 1844. p. 54, 55.

(29) v. Cl. Com. B. Burgh. Ep. ad Cl. Furlan. 15 ott. 1837. Exstat in op. *Le antiche lapidi del Museo di Este* p. 47.

(30) Sic *familia tironianensis* Ap. Cardinali Iscr. Ant. Bologna 1819. n. 330. *familia tironianensis*, item lexicis addendum.

AEST HS $\overline{XIIII}$ IN HS ∞
VALGIA SECVNDA FVND CVRIANI ET MVNA HS C
TIANI IN BENEVENT PAGO MEFANO ADF
OCTAVIO MODESTO AEST HS $\overline{XXIIII}$ ITEM
FVND PROFIANI IN BENEVENT PAGO CAE
LANO ADF GAVIA MYRTALE AEST HS $\overline{XXIIII}$
F HS $\overline{XXXXVIII}$ IN HS ∞∞∞∞
L LONGIO PYRAMO FVND SESTIANI FINIB HS XXXXIIX
BENEVENTANOR PAGO ROMANO ADF
METELLO MARCELLO ET POP AEST HS $\overline{XX}$ IN
HS ∞ DC LXXX
ANNIO RVFO FVND BASSIANI ET VALERIANI HS CCC L.

*aestimati HS $\overline{XIIII}$ in HS ∞*
*Valgia Secunda fundi curiani et muna* *HS C*
*tiani in Beneventano pago Mefano adfine*
*Octavio Modesto aestimatorum HS $\overline{XXIIII}$ Item*
*fundi profiani in Beneventano pago Cae*
*lano adfine Gavia Myrtale aestimati HS $\overline{XXIIII}$*
*fiunt HS $\overline{XXXXVIII}$ in HS ∞∞∞∞*
*L. Longio Pyramo fundi sestiani finibus* *HS XXXXII(X)*
*Beneventanorum pago Romano adfine*
*Metello Marcello et populo aestimati HS $\overline{XX}$ in*
*HS ∞ DCLXXX*
*Annio Rufo fundi bassiani et valeriani* *HS CCCL*

Revocanda sunt quae referuntur ex libris Dolabellae (31) de *Silvano. Omnis possessio quare Silvanum colit? quia primus in terram lapidem finalem posuit. Nam omnis possessio tres silvanos habet; unus dicitur domesticus possessioni consecratus, alter dicitur agrestis pastoribus consecratus, tertius dicitur* ORIENTALIS *qui est in confinio lucus positus,* A QUO *inter duo, pluresve* FINES ORIUNTUR. *Ideoque inter duo pluresve est lucus.*

v. 37. MUNATIANI. *Munatios* quatuor, inter Beneventanos dedit de Vita. Addo Munatiam Modestinam, cuius mihi cippum exscripsit saepe laudatus eques De Agostino. Eius verba sunt. *Su la via attuale, che conduce a Pago, presso al casinetto di Guerra, un gradone ben robusto presenta la iscrizione, che Cosinio Prisco consacra a Munazia Modestina.*

D M
MVNATIAE
MODESTINE (sic)
QEM IXIT AN XII (sic)
M COSINIVS
PRISCVS
CARISSIME (sic)
B M F

v. 39. TURSELIO, Familiae Turseliorum Baebianae (v. pag. 2) ex nuper invento lapide prope Baebianum accedit *Turselia Prima.*

D M
TVRSELIAE PRIMAE
CONIVGI SANCTIS
SIM ET INCOMPA
RABIL FEMINLPE
RONIVS GEMINIA
NVS MARIT CVM QVA
.IXIT ANN XXVIII DXXII

v. 41. GAVIA. Gaviorum exempla tota Italia frequentia. Sepulcra Baebiana dant *Gaviam Gemellam.*

D M
GAVIAE
GEMELLAE
L CORNELIVS
CONI
B M F

v. 47. VALERIANI: *Valerios* et *Valerianos* multos habes inter monumenta Beneventana. Lapidem C. Valerii Arsacis, Cl. Cardinali (32), et Guarinius (33) dederant. Insertus parieti est casulae rusticae, loco inter Campum Lotharii et Baebianum; qui, quia nondum recte est descriptus opus est, ut denuo edatur.

(31) Inter Auct. R. Agr. p. 294. Goës.
(32) Dipl. Milit. p. 501.
(33) Comment.

CAESIANI PLINIANI CVM SALTIBVS XXV
PERTICA BENEVENTANA ADF CAES $\overline{N}$
AEST HS $\overline{CCCCLI}$ F HS $\overline{XIIII}$
C. IVLIO SATVRNINO FVND PVBLIANI ADF NE HS CLXXV

*caesiani pliniani cum saltibus XXV*
*pertica Beneventana adfine Caesare nostro*
*aestimatorum HS $\overline{CCCCLI}$ fiunt HS $\overline{XIIII}$*
*C. Iulio Saturnino fundi publiani adfine Ne HS CLXXV*

C VALERIVS C F AEM ARSACES
LEGIONE V ALAVDAE SIBI ET
VALERIAE C L VRBANAE
CONCVBINAE SVAE EX
TESTAMENTO FIERI IVSSIT

Hic, quoniam inscriptionem istam Augusti aetate non inferiorem omnia declarant, oritur quaestio an C. Valerius ex his militibus fuerit, quos Augustus in colonias deduxit, et consequenter an legio V. Alaudae Baebiani inter Ligures collocata sit. Huius quaestionis enodatio pendet ex historia V. Legionis Alaudae, de qua incertae notitiae, et involutae ambagibus. Sed videndum est quid aperiri, et recte disseri possit. Haec legio conscripta est *ex transalpinis*, a Caesere Iulio qui *disciplina cultuque romano institutam et ornatam, postea universam civitate donavit* (34). Apex avis Alaudae, eius insigne, nomen dedit (35). Inter initia belli civilis Antonium interfectorum Caesaris vindicem anno 709. sequebatur (36). Hanc eandem legionem ab A. Hirtio (37) nomine *veteranae* designari putat Guischardus (38), quod A. Hirtius scripserit legionem V. veteranam in bello Africano fuisse. Ego vero quaero, qui legio ex transalpinis nuperrime conscripta, *veterana* dici possit. Postulat etiam res, ut cum duae legiones quintae extiterint, hoc est V. Urbana, et V. Alaudae, ea ex his *veterana* dicatur, quae adhuc recente Alaudarum institutione, tempore quidem certe praecesserat. Legiones enim prius conscriptae, recte *veteranae* dictae sunt, cum *tironum* recentiores dicerentur. Hactenus historiae, unde initia tantum legionis quintae alaudarum tenemus. Post haec tempora cum nulla usquam mentio eius occurrat, quidam posuerunt legionem hanc alaudarum ab Augusto nomen leg. V. Augustae accepisse (39). Fuit etiam eius sententiae Cl. B. Burghesius (40), legionis V. alaudae stativis in inferiore Germania positis, in qua quidem legio Augusta quinta collocata est; tamen cum monumentum Domitiorum observasset, ubi mentio esset Leg. V. Alaudae, iudicavit, eam Neronis aetate extitisse, recessitque, ab ea opinione, qua legionem quintam alaud. in leg. V. Aug. transiisse coniecerat (41) Hae sunt eruditorum hominum opiniones, quibus subiicere fas sit quam brevissime quod sentio. Suetonius, et Plinius maior, quorum hic sub Nerone, et duobus Flaviis, ille sub Nerva et Traiano floruit, satis aperte demonstrant legionem illam Alaudae suis temporibus, nusquam fuisse. Sic enim loquuntur. Suet. C. 24. APPELLABATUR *enim Alauda, quam disciplina, cultuque romano institutam et ornatam, postea universam civitate donavit*. Plin. H. N. XI. 44. *Gallico vocabulo etiam legioni ( apex ) nomen* DEDERAT *Alaudae*. Iam, si dico, Legio *appellabatur* alauda, quod ei apex alaudae nomen *dederat*, omnes intelligunt, me de re desita diu et sublata esse locutum; concludam igitur, Suetonio et Plinio auctoribus, Legionem V. Alaudarum a Iulio conscriptam, multo ante eorum aetatem fuisse sublatam. Neque vero haec sola legio interiisse putanda est: siquidem leg. XVII classica, XVIII Lybica, XII Antiqua, aliaeque (42) cessarunt. Harum inter Augustum et Tiberium memoria omnis extinguitur, profecto propter frequentes coloniarum deductiones ab Augusto factas, quo tempore consentaneum est etiam quintam legionem Alaudarum fuisse deductam. Haec enim Antonium, ut diximus, secuta est, omnes vero Antonii legiones, ut testatur Hyginus (43) ab Augusto in colonias praesertim per Italiam missae sunt. *Aeque D. Augustus in assignata orbi terrarum pace exercitus, qui* SUB ANTONIO *aut Lepido militaverant, pariter et suarum legionum milites, colonos fecit alios in Italia, alios in provinciis*. Nunc opus est, ut, quoniam Suetonium et Plinium secuti, legionem V. Alaud. Iulianam sublatam posuimus, ducta monumentorum constituamus ab aliquo Imp. revocatam fuisse. Primum depromam ex Grut. (544. 2) *Dis. manibus. sacrum | Vlpiae. Pyrallidi | Helenus. Aug. Lib | Tabic. Leg. V | Alaud P. Fel. vivus fecit*. Altera inscriptio est (403, 1, 2) *Cn. Domitio. Sex. f. Afro . . . trib. mil. V. Alaudae. Cn, Domitio Sex. f. Afro . . . mil leg.*

(34) Suet. C. 25.
(35) Plin. H. N. XI. 44.
(36) Cic. ad Att. L. XVI. 8.
(37) B. Afric. c. 85, 84.
(38) Mem. crit. d. 317.
(39) Oudendorp. ad Suet. Caes. 54. Secchi Iscriz. scoperte in Arado p. 59).
(40) Due iscr. di Urbisaglia Gior. Arcad. t. 52. p. 169.
(41) Lettera all'Ab. Furlanetto – Le Ant. Lap. di Este p. 97.
(42) V. Borgh. l. c.
(43) De Lim. const. 160.

RATIO MARCELLO AEST HS $\overline{\text{LXXX}}$ IN HS $\overline{\text{VII}}$
IVLIA HECATE FVND CORONIANI ET CERELLIANI HS C
ET CASAE CRISPINI LL PAGO ROMA ADF CAES $\overline{\text{N}}$

*ratio Marcello aestimati HS $\overline{\text{LXXX}}$ in HS $\overline{\text{VII}}$*
*Iulia Hecate fundi coroniani et cerelliani HS C*
*Et casae Crispini L l pago Roma adfine Caesare nostro*

*V. Alaud.* Hunc vero Domitium Trib., et fratrem militem quia tempora neroniana sibi vindicant, ut Traiani, Helenum. lib. Aug. et tubicinem, in revocata legione Alaudae meruisse dicam; hancque cum neque Dio, (44) neque monumenta numerent inter imperii legiones, quae sub Adriano essent, (45) denuo ponere necesse est sublatam fuisse.

Itaque ut ad propositam quaestionem, veniamus, ex Frontino erat cognitum, inter ceteras urbes, ab Augusto in Ligures Baebianos coloniam fuisse deductam (46) *Ager eius, post bellum Augustianum, veteranis est assignatus.* Probabile vero est, inter Ligures legionem hanc ex transalpinis Caesarem collocasse, ut ex lapide ibi invento etiam licet coniicere. Praesertim, ut dixi, eius literarum forma conveniente temporibus his, et stylo ipso inscriptionis, ubi tacetur nomen *miles* et *veteranus* (47). Notandum quoque est, Veteranis his, agros Augustum assignasse, *sed non continuos, ne quis possessorum expelleretur* (48), quod mirifice convenit cum his, quae de pertica Ligurum supra disputavi. Denique videndum est, ne quem moveat mentio tribus Aemiliae, in qua fuit Valerius Arsaces. Nam ut mittam veteranos potuisse traduci cum pleno iure civium Romanorum, quod alibi ostendi (49), universa legio V Alaudae a Iulio Caesare adhuc sub armis civitate donata est (50); unde cum post militiae laborem in coloniam mitterentur *cum signis et aquila* (51) tribum suam, in quam conscripti erant, Aemiliam retinuerint milites, necesse est.

v. 48. CAESIANI In suburbano Baebiani ara nuper inventa dat *Cneum Caesium Vrbanum.*

CNE CAESFECITSI
ET DELICIAE SVAE
SACRFLAMINI
ECFVRBANVS
VXOR SVAE

Constructio perturbata mirum in modum vitiosa προθέσει. Est igitur. *Sacrum. Cneus Caesius Cf Urbanus fecit sibi et deliciae suae Flaminiae uxori suae.*

v. eod. CVM SALTIBVS XXV. Vox *Saltus* duo praesertim significat. Nam in pertica colonica, ut docet Siculus Flaccus (52), *quintam quamque centuriam includens per decumanos cardinesque, cum XXV centurias includat,* SALTUS *appellatur.* Sed patet nostros SALTUS non posse hunc sensum habere. Alia significatione, de qua Festus, et Varro cum aliis testantur, SALTUS sunt *pastiones pecuariae, et silvae.* Sed quemquam habuisse sive pastiones seu, silvas tam numerosas, aut potuisse obligare omnes, non additis affinibus, aut tam pauci valuisse, videtur incredibile; nisi quod Aggenus Urbicus morem opportune docet, qui in assignatione perticae colonicae olim fuit (53) *Ubi enim mons fuit perticae proximus, asper seu sterilis, super quo fundi constitui nequiverunt, aut sorte aquae inopia habitatio prorsus hominibus negata est,* SILVAE *tamen dum essent glandiferae, ne earum fructus periret* PARTICULATIM *diviso monte datae sunt. Hae particulae silvarum, ut omnis locus compascuus, SALTUS appellabantur* (54). *Quos agros non colebant propter* SILVAS, *aut id genus ubi* PECUS POSSET PASCI, *ab usu suo* SALTUS *nominaverunt. Portiones* igitur horum pascuorum continuas Annius Rufus possidebat, sive iure, seu occupatione, easque confines Caesari, quas cum fundo obligavit.

v. 52. IULIA HECATE. *Iuliam* quamdam Hecatem honoravit ara Primitianus alumnus, cuius inscriptio iam in praef. p. 3. relata est.

v. 53. CRISPINI LL. Hunc *Crispinillum* μονω appellari feret nemo. *Crispinus Lucii libertum* se dicit. Forte Patronus *L. Crispinus* vulgo, neglecto nomine gentili, sic se appellari gaudebat, praesertim si et ipse libertus antea fuit, qui iam sibi dominorum suorum cognomina libenter asserebant. Ceterum nihil vetat, quominus legamus *Crispinii*, ut *Rutili* pro *Rutilii* etc. quod perpetuo fit in hac tabula, posito I pro duobus II.

v. 54. ROMA. Pro pago *Romano*, ut in col. 3, v. 31. FASCIAE pro *Fasciano*; quae si idem esse putanda sunt, similem loquendi modum iuvabit proferre ex epist. M. Aurelii Caes. ad Fronton. L. 4. 4. in qua pro Villa *Campana* et *Aureliana*, *Aureliam et Campaniam* dixit. *Utrum in Aureliam, an in Campaniam abiisti fac scribas mihi.*

(44) Dion. Cass. H. L. 54, 24.
(45) V. Mon. Mafeiana etc.
(46) Front. de Col. 139.
(47) Furlan. Lap. di Este p. 97, 98)
(48) Suet. Aug. 38.
(49) Antiq. Salernit. disquis. p. 22, 23. Neap. 1844.
(50) Suet. c. 25.
(51) Hygin. 160.
(52) Sic. Flac. p. 19.
(53) Agg. Urb. in Front. de Lim. Agr. p. 55.
(54) Varro L. L. 4. 4.

| | |
|---|---|
| AEST HS $\overline{XXIX}$ IN HS ∞∞ ITEM FVND | |
| CLODIANI PAGO HERCVLANEO ADF TVRPIL | |
| LIO LVPO AEST HS $\overline{XXIII}$ IN HS ∞∞ F HS $\overline{LII}$ | |
| IN HS $\overline{IIII}$ | |
| P CAMVRIO FORTVNATO FVND LVSIANI ET | HS CLXXV |
| CASAE POPILLIANICAE PAGO MEFANO ADF | |
| VALERIO VALERIANO AEST HS $\overline{LXXX}$ IN HS $\overline{VII}$ | |
| TREBONIO PRIMO FVND APVLEIANI, ET CASSI | HS CCXXV |
| ANI ET ABELLIANI PAG MEFANI ADF MARCIO | |
| RVFINO AEST HS $\overline{C}$ IN HS $\overline{VIIII}$ | |
| CLODIO CONVENIENTI FVND PRIMIGENIANI | HS CCXXV |
| ET ALBIANI ET SVTORIANI ET SVELLIANI PAG | |
| SALVTARI ADF SVELLIO FLACCO ET RVFO EMPT | |
| HS $\overline{CVIIII}$ IN HS $\overline{VIIII}$ | |
| L. STATORIO RESTITVTO FVND MARCIANI CVM | HS L |

| | |
|---|---|
| *aestimatorum HS $\overline{XXIX}$ in HS ∞∞ Item fundi* | |
| *clodiani pago Herculaneo adfine Turpil* | |
| *lio Lupo aestimati HS $\overline{XXIII}$ in HS ∞∞ fiunt HS $\overline{LII}$* | |
| *in HS $\overline{IIII}$* | |
| *P. Camurio Fortunato fundi lusiani et* | *HS CLXXV* |
| *casae popillianicae pago Mefano adfine* | |
| *Valerio Valeriano aestimatorum HS $\overline{LXXX}$ in HS. $\overline{VII}$* | |
| *Trebonio Primo fundi apuleiani, et cassi* | *HS CCXXV* |
| *ani et arelliani pago Mefano adfine Marcio* | |
| *Rufino aestimatorum HS $\overline{C}$ in HS $\overline{VIIII}$* | |
| *Clodio Convenienti fundi primigeniani* | *HS CCXXV* |
| *et albiani et sutoriani et suelliani pago* | |
| *Salutari adfine Suellio Flacco et Rufo emptorum* | |
| *HS $\overline{CVIIII}$ in HS $\overline{VIIII}$* | |
| *L. Statorio Restituto fundi marciani cum* | *HS L.* |

v. 62. TREBONIO PRIMO. L. Trebonius Primus seu reficit seu ponit Iovi aedem cum porticu. monumentum est ad oppidum *Pago* inscriptum

IOV. OPT. MAX  
L. TREBONIVS  
PRIMVS  
AEDEM CVM POR

misit Eq. De Agostino, unde Cl. Guarini et Henzenii apographon corrigere est. Durant huius Aedis vestigia in Zophori particula, cuius metopis est insculptus flos senis petalis, bucranium, scuta duo seu samnitica seu parthica, caput ornatum galea cum offendicibus, sine crista. Aedis et porticus magnitudinem coniice ex mensura triglyphorum et metoparum: duo triglyphi et duo metopae simul habent longitudinis palmos II cum LXXV minutiis, latitudinis vero cum guttulis triglyphorum palmum I et minutias LII.

v. 67. EMPT. *Lege Iulia fundorum qui emerentur, quanti cum postremum censeretur, aestimati sunt* (55) Erant ea tempora, cum haec tabula confecta est, quae fundorum pretia attenuare magis, quam augere posset, de quibus opportune Plinius (56): *Superest ut scias quanti videantur posse emi: sestertio tricies; non quia non aliquando quinquagies fuerint, verum et* HAC PENURIA COLONORUM ET COMMUNI TEMPORIS INIQUITATE, UT REDITUS AGRORUM, SIC ETIAM PRETIUM RETRO ABIIT. Item (57) Plin. *Erat cum donarem agellum centum millium nummum, postea* DECRESCENTE reditu ETIAM PRETIUM MINUIT, *quod nunc te curante reparabit: Fundi* i. e. *Primigenianus*, et *Albianus*, et *Sutorianus* et *Suellianus* EMPTI sunt post ultimum *censum*, unde lege Iulia ceteri fundi aestimati.

(55) Hyg. de Lim. Const. 331.
(56) Plin. Epist. L. III. Ep. 49.
(57) Plin. Epist. L. VI. Ep. 3.

PARIETINIS ADF CAES N PAG SALVTARE AEST
HS XXV IN HS ∞∞ N COMICVS
L. VIBBIO ANENCLETO FVND FLAVIANI PAGO HS LXIIS
MEFLANO ADF NERATIO MARCELLO AEST HS
XXX IN HS ∞∞ D N HEDONE
NAEVIO VITALE FVND FLAVIANI PAGO MEFLA HS CXXXIIIS
NO ADF MARCIO RVFO AEST HS XXVII IN
HS ∞∞ CCC XXXX ITEM FVND AQVILIANI
PAGO SS ADF VMBRIO AEST HS XL
IN HS III F HS LXXXIIII IN HS V CCC XL

*parietinis adfine Caesare n. pago Salutare aestimati*
*HS XXV in HS ∞∞ N. ss. Comicus*
*L. Vibbio Anencleto fundi flaviani pago* *HS LXIIS*
*Meflano adfine Neratio Marcello aestimati HS*
*XXX in HS ∞∞ D N. ss. Hedone*
*Naevio Vitale fundi flaviani pago Mefla* *HS CXXX IIIS*
*ne adfine Marcio Rufo aestimati HS XXVII in*
*HS ∞∞ CCC XXXX Item fundi aquiliani*
*pago suprascripto adfine Umbrio Primo aestimati HS XL*
*in HS III Fiunt HS LXXXIIII in HS V CCC XL*

